



ICE


5
MICH

10
111

10
111







DE SACRIS
CONCIONIBUS.

DE SACRIS
CONCIONIBUS.

DE FORMANDIS
SACRIS CONCIONIBUS,

S E U

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURARUM POPULARI

LIBRI III.

COLLECTI PER R. P. Fr. LAURENTIUM
à Villavicentio , Xerezanum.


SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOREM AUGUSTINIANUM.

TERTIA EDITIO.

*Accedit Brandolini Lippi Oratio de Virtutibus
D. N. Jesu Christi, nobis in ejus Passione ostensis.*

CURANTE

R. P. HENRICO FLOREZ, FRATRE EJUSDEM
Ordinis, Doctore Theologo Complutensi.



MATRITI: Apud Antonium Marin. MDCCLXVIII.

Cum facultate superiorum,

SACRIS CONCIONIIBUS

S E U

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURARUM POPULARI

LIBRI III.

COLLECTI PER R. P. F. LAURENTIUM

à Villavieja; Xerezani.

SACRÆ THEOLOGICÆ DOCTORUM AUGUSTINIANUM.

TERCIA EDITIO.

Abbat. Brandeburgi Lipsi Oratio de Virtutibus
D. N. Jesu Christi, nobis in eius Passione exposita.

CURANTE

R. P. HENRICO FLOREN. ERATRE EIVSDEM

Ordinis, Doctore Theologo Complutensi.



MATRI: Amdanum M. d. MDCCLXXVIII.

Com. exultans sequitur.



MONITUM. EDITORIS.



DE clarissimo hujus operis Scriptore nonnullam in altero *De recte formando Theologiae studio* notionem præmisimus, quæ Patriam, studia, professionem, gesta munera, atque opera manifestat. Præsens *De formandis Sacris Concionibus*, seu *de Interpretatione Scripturarum populari*, prodiit Antuerpiæ anno 1556. eodem quo alterum anno, sub eodem compactum volumine, ac forma eadem, quæ vulgò audit *in octavo*. Recusum eodem post decennium modo Colonia: sed characteribus adeo parvulis, totque litterarum compendiis, ut non possint non oculos legentium offendere. Id ut vitemus, grandioribus cudi litteris curavimus, quæ unum in duos Tomos excrescere coegerunt.

Cum autem singilatim utrumque concinnaverit Auctor opus, plura ex priori mutuavit, quæ hîc ad litteram transcripsit; nescius scilicet, utrum prius in lucem, si aliquod, ederetur. Ea propter non laudandi qui utrumque sub uno vulgantes volumine actum egerunt, ipsissimam Capitula ingeminantes, & quidem ex fusioribus.

Sed

Sed nec ex amussim rem fecerunt : nam verba quæ in priori sunt opere , in secundo prætermiserunt , & ex adverso. Nos absoluta ea capita damus , ab uno supplentes quæ prætermiserunt in altero , ut suis monemus locis. Et quidem sicut Theologi magnam sibi messem ad Sacræ Scripturæ intelligentiam ex hoc possunt libro comparare ; ita Concionatores ex altero , præcipuè lib. 3. cap. 7. ubi de Declamationibus agit. Hinc forsân veteres ob utriusque rei affinitatem utrumque opus sub uno ediderunt volumine , minusculis id litteris permittentibus : quod ex adverso nobis grandioribus utentibus non licuit.

Scripserat hac de re Andreas Gerardus Hyperius (de quo in altero Laurentii opere) libellum , quem Basileæ anno 1522. primò editum testatur Daniel Georgius Morhofius in suo Polyhistore. Sed multo differentius , multoque fusius noster , cum tamen absolutus non sit ejus Tractatus , ut ad finem monemus. Vide etiam quæ in præfatione alterius Laurentii operis prænotavimus.

Quoniam autem Tomi præsentis quantitas accessionem patitur laudatissimæ cujusdam Orationis coram Maximo Pontifice Alexandro VI. ab Aurelio Brandolino Lippo , itidem Augustiniano , in Parasceve habitæ ; placuit ad calcem recudere , ut eam tyrones nostri relegentes , & bona concipiant , & meliora (si Deus dederit) edant.

INDEX

LIBRORUM, ET CAPITUM.

LIBER I. CAPUT I.

- II. **Q**uibus rebus eum instructum esse oporteat qui munus docendi in Ecclesia suscipit. 7.
- III. Requiritur etiam in Doctore Evangelico vitæ probitas. 15.
- IV. Tertio loco diximus Concionatori necessarium esse Spiritum Sanctum. 19.
- V. Quid efficiat Spiritus Sanctus in Concionatore. 27.
- VI. Secunda ratio quare dicamus Spiritum Sanctum necessarium esse Concionatori. 29.
- VII. Tertia causa, quare sit necessaria Concionatori Spiritus Sancti invocatio. 38.
- VIII. Quarta causa, quare sit necessaria Concionatori Spiritus Sancti gratia. 46.
- IX. Quinto, gratia Spiritus Sancti in Concionibus requiritur, ut intus audientium corda aperiat, ac molliat & in obedientiam & amorem legis Dei inclinet. 51.
- X. Quarto loco diximus necessariam esse Concionatori vocationem ad illam sacram functionem obeundam. 56.
- XI. Quæ doctrina sit tradenda & tractanda in Ecclesia populo Christiano. 63.
- XII. Quod Concionatores debeant semper ita suas instruere Conciones, ut legis & Evangelii doctrina constet. 68.
- XIII. Demonstratio quorundam locorum, quos Judæi in lege corruperant falsis interpretationibus, Concionatoribus valde necessaria cum sua restitutione. 85.
- XIV. Nonnulla de Concionum forma atque partibus. 94.
- XV. De lectione Sacræ Scripturæ. 96.
- XVI. De Invocatione. 98.
- XVII. De Exordio. 99.
- XVIII. De Divisione, seu Propositione. 103.
- XIX. Qua ratione unamquamque Concionem in locos certos aptè possimus distribuere. 107.
- XX. De Confirmatione. 119.
- XXI. De Confutatione. 124.
- XXII. De Conclusionem. 127.
- XXIII. De Amplificatione. 128.
- De

XXIV. De Movendis affectibus. 134.

LIBER II. CAPUT I.

Quot sint Concionum genera, quotuplex status & de duobus thematum formis. 149.

II. De genere doctrinali, seu Didascalico. 151.

III. De genere redargutivo. 160.

IV. De genere institutivo. Ubi de Panegyricis, & Funebribus Concionibus. 166.

V. De genere correctorio. 177.

VI. De genere consolatorio. 191.

VII. De mixto genere Concionum. 199.

VIII. Tria esse Concionatorum semper spectanda: auditorum utilitatem, decorum in docendo agendoque, & stu-

dium concordia. 200.

Caput in quo Augustinus instruit Concionatorem, quo pacto sit proclamaturus ad populum materiam prædestinationis. 207.

LIBER III. CAPUT I.

DE quadruplici Scripturarum sensu. 211.

II. Quid faciendum ubi locus occurrerit intricatus è quo te nulla via potes expedire. 235.

Caput ultimum. In quo tractatur quatenus liceat Concionatori verbi Dei Philosophorum doctrinas inter declamandum tractare. 241.

Fr. Lippi Aurelii Brandolini Augustiniani Oratio, De virtutibus D. N. Jesu Christi nobis in ejus Passione ostensis. Pag. 251.

Animadversa post impressionem.

Pag. 11. lin. 21. Acha, leg. *Achab*. Pag. 18. l. 5. minima, l. *minimè*. P. 52. l. 33. sive, leg. *sine*. P. 67. l. 30. inferno, l. *inferno*. P. 104. l. 13. ostendimus, l. *ostendemus*. P. 133. l. 13. situd. l. *Istud*. P. 224. l. 20. gestati, l. *gestari*. P. 251. l. ult. Actor, l. *Auctor*.

Hæc & alia vitiata, diligens facillè lector animadvertet.

DE SACRIS
CONCIONIBUS
FORMANDIS.

LIBER I.

CAPUT PRIMUM.



UNT quamplurima ipsaque amplissima ministeria à Christo in beneficium Ecclesiæ sponsæ suæ instituta: quæ adeò necessaria fidelibus esse videntur, ut ipsis adeptis divina hæc machina regni Christi salva consistere minimè possit. At verò quamvis cuncta quæ Christus in Ecclesiæ ædificationem stabilivit, plu-

rimum momenti habeant, nihil est tamen, quod reliquis Ecclesiæ ministeriis debeat ulla ratione præferri, quam verbi Dei prædicatio, sive munus docendi. Hoc enim inter omnes Ecclesiasticas functiones, longè esse dignissimum, neminem fore, aut esse arbitror, qui velit, aut possit negare. Posuit enim Christus in hac sacra functione præstantissimum totius Evangelii ministerium, per quod cuncti mortales, alioqui Infideles, Idololatræ, aut Athæi, ad fidem Christi, & ejus Ecclesiam essent provocandi, & ad sacras nuptias invitandi. Docuit hoc satis luculenter Paulus in illa nobilissima quam ad Romanos scripsit; epistola, inferens ex interrogatione illa Isaïæ: *Domine, quis credidit auditui nostro?* fidem ex auditu pendere, cum prius affirmasset neminem invocaturum nisi credentem,

A

cre-

De Sacris Concionibus.

erediturum verò neminem qui non audierit: *Quomodo ergo, inquit, invocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* Quotquot igitur Christi Ecclesiam nomina Christo daturi accedunt, non sua tantum sponte veniunt, sed vocati & docti, vel immediate ab ipso Deo, ut Adam, aut Abraham, sive Moyses, & Paulus, vel per Angelos, ut Cæcilia & Valerianus, vel per homines, quemadmodum in ipsis Ecclesiæ primis incunabulis venerunt cuncti qui Apostolorum doctrinis instructi, ejusque divinis prædicationibus inclinati & docti in Christum crediderunt. Christus jamjam migraturus ad patrem, nihil prius, aut antiquius suis quos ad apostolatam vocaverat discipulis esse voluit, quam docendi provinciam strenue ac fideliter obire. Sic enim referente Marco illis dixit: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creature.* Quasi diceret: docete omnes creaturas Sacramenta, atque Evangelii divina mysteria. Prætulit Christus hoc loco honorificam hanc docendi functionem baptizandi ministerio, seu reliquorum sex Sacramentorum dispensationi. Unde factum est, ut Apostolus qui in tertium Cælum raptus divinaque arcana illic scrutatus fuerat, inde reversus, dixit: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quibus verbis innuit docendi facultatem, ceu Apostolicum munus divino jure singulari ratione ad se pertinere. Ejusdem fuit sententiæ Petrus, quando variis negotiis distractus in administrandis mensis fratribus, dolens paulò tepidius, aut negligentius verbum crucis Gentibus prædicari, imò ipsis Gentilibus conquerentibus, quod necessaria ipsorum viduis non administrarentur, perinde atque Judæis, dixit: *Non est æquum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

Ex quibus locis facile est colligere, sacram hanc verbi Christi proclamandi functionem, longo intervallo universas alias administrationes, quantumvis eximias excellere. Nec est alia certior aut manifestior nota, qua vera catholicaque Christi Ecclesia discernatur à falsa & hæretica, quam sana & Apostolica doctrina. Quando hæretici Sa-

cramenta in suis conciliabulis habere quidem possunt, sanam verò doctrinam habere non poterunt, quam simul enim atque hæresim meditantur, pro suis falsis dogmatibus atque perversis doctrinis astruendis, corrumpunt, vitiant, atque adulterant. Proinde nos certo statuimus, doctrinas hæreticorum nostri temporis, in suis concionibus falsas esse, & perversas, quas etsi medius crepet Brentius, rumpatur aut Calvinus, vel alii Grammatici, nunquam ostendere poterunt, Apostolicas, neque Evangelicas esse. Nam quamvis Scripturas jactent, & in medium audacissimè proferant, (ut sunt audaces) interpretationes tamen earum (quas verius depravationes dixerim) numquam ostendent, ex fontibus illis limpidissimis Apostolicis continua irrigatione ad ipsos usque profluxisse. Idcirco cum videant Apostolicas doctrinas suis hæresibus reclamantes atque adversantes, vel prorsus rejiciunt aliquas Epistolas Canonicas, aut qui modestiores esse haberique volunt, Patres Ecclesiæ Doctores sacros, ipsas interpretantes prorsus negligunt. Quam verò grave sit, atque impium, temerare Spiritus Sancti mentem, sacrasque doctrinas pro sua libidine violare, cognoscent profecto suo tempore ii qui faciunt.

Mirificè delectatur Deus, quando Evangelica Sacramenta annunciantur, fidelibusque proponuntur, pura, atque sincera, & ab omni inquinamento repurgatissima. Est pars non minima cultus divini annunciatio Evangelii. Ob idque Apostolus Paulus non dubitavit gloriari se Deum verè & in spiritu colere, Evangelium Christi annunciando, id est, docendo Gentes Sacramenta, & mysteria Evangelicis historiis contenta. Sed didicerunt viri sancti & eruditi ex ipsis Scripturis duplicem esse rationem interpretandi Scripturas Sacras in Ecclesia Catholica antiquitus observatam. Ob idque est in more positum, ut altera habeatur ratio in studiosis viris docendis in Scholis publicis, privatisque, aut reliquis Collegiis: altera verò in informanda plebe rudi & inculta, de rebus ad salutem necessariis. Illa vocatur Scholastica, hæc verò popularis, seu Ecclesiastica: illa est cœtibus Doctorum virorum, atque stu-

diosortum adolescentium , aliquo usque in litteris progressorum, apta : hæc ad instituendam promiscuam multitudinem, in qua plurimi rudes, imperiti, atque illitterati, tota comparata est. Illa exercetur inter Scholarum angustos parietes, hæc in spaciolis templis locum obtinet : illa concisa & astricta est, philosophicam solitudinem, severitatemque redolens ; ista expansa, libera, effusa, necnon oratoria luce & quasi foro gaudens. In illa pleraque ad Dialecticam brevitatem, ac simplicitatem exiguntur, in ista, copia & ubertas plurimam adfert gratiam. Atque haud difficiliter hoc discrimen in multis veterum scriptis deprehendi potest. Siquidem interpretatione populari pleræque omnes conciones Prophetarum & Christi sunt expositæ, non pauca insuper Apostoli Pauli exhortationes. Deinde, quæ homiliarum aut sermonum, aut orationum inscriptionibus apud Sanctos Patres, Originem, Chrysostomum, Basilium, Nacianzenum, Augustinum, Maximum, Emissenum, Leonem, & post hos Gregorium, Bedam, & Bernardum, & similes leguntur. Quibus licet adjicere Augustini in Evangelium Joannis, & in Psalmos aliquot enarrationes.

Ad interpretationes autem Scholasticas pertinent graviores & subtiliores quædam disputationes D. Pauli, nempe illa de justificatione hominis in Epistola ad Roman. & ad Galatas, cum aliquot in priore ad Corinthios. Duæ prætereà, in Epistola ad Hebræos, altera de duabus in Christo naturis, altera de abrogatione Sacerdotii legalis, atque Christi Sacerdotio æterno. Eidem ordini accenseri par est omnes Commentarios D. Hieronymi in Prophetas, Ambrosii in D. Pauli Epistolas : ad hæc, Epistolas, atque disputationes Augustini. Breviter quisquis aliquo pollet judicio, iis quæ diximus adjutus, citra negotium discernet, ad utrum interpretationis genus, scriptum quodcumque referri debeat. De hac interpretatione Scholastica, nihil amplius dicemus, cum nobis non sit animus, ea de re quidquam tractare, sed institutam materiam de Sacris Concionibus formandis prosequi.

Hoc tamen docti animadvertent, Patres illos, qui Anthio-

thiochia & Hierosolymis primas illas sacras rerum divina-
rum officinas aperuerunt , posteaquam Marcus illic , reli-
qui verò discipuli alibi illas Scholas erexerunt non temerè,
sed magno iudicio atque maturo priùs deliberantes , diver-
sitate hanc docendi Ecclesiæ Catholicæ invexisse , se-
quentes Spiritus Sancti ductum & Christi Apostolorumque
exemplum. Christus enim duodecim annos natus cum in
templo permissis parentibus domum redire , mansisset,
totumque triduum cum Doctoribus legis disputando tran-
segisset , minimè est dubitandum , quin multò aliter di-
versaque ratione illic negotia legis tractaverit , quam ubi
apud plebem promiscuam , imperitam & rudem , concio-
nem habebat. Disserebat sanè, ut Lucas testatur, illic tanta
altitudine & sublimitate , ut legis Doctores , Prophe-
tarumque periti , minimè potuerint ei affirmanti adversari,
neque neganti contradicere. Interrogabat tam acutè , res-
pondebatque percontantibus tam succinctè , tam solidè,
tantaque veritate , & luce , ut non possent non maximè
admirari : *Et factum est* , inquit Luc. 2. *post triduum in-*
venerunt illum in templo , sedentem in medio Doctorum,
audientem & interrogantem eos. Stupebant autem omnes
qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus , &
videntes admirati sunt. Hos ut viros doctos , eximiaque
legis & Prophetarum cognitione præditos , & multum in
scripturis exercitados , scripturis convincit , arguit , & do-
cet. Reliquam verò imperitam turbam , parabolis & simi-
litudinibus , aliisque humilioribus doctrinis , ad veritatis
amorem , & fidem exhortatur , & vocat. Petrus etiam
cum causam Discipulorum Christi , qui recepto Spiritu
Sancto , variisque linguis loquentes , ebrietatis insimula-
bantur , defendendam susciperet , vellentque convincere
non vini efficacia , sed Spiritus Sancti ardentissima gratia
& virtute inflammatos esse loquutos , ab alta narratione
exorsus Scripturis Prophetarum demonstrat , tempus jam
instare quo olim Prophetæ prædixerant fore , ut in novis-
simis diebus effunderetur Spiritus Domini super omnem
carnem , & essent homines loquuturi variis linguis. Cum
verò apud imperitam plebem sibi erat dicendum , secus

fuisse loquutum deprehendet sanè , qui sacras ejus conciones in Actis Apostolorum relatas percurrerit. Paulus etiam stans in medio Areopagi multò sublimiùs atque elegantius dixit , quàm cum esset Corinthi & Achajæ , vel Ephesi , quamvis utrobique strenuè & diligentissimè negotium Christi egerit , & curaverit. Item Joannes cum divinitatem Christi contra Ebionitas , ejusque æternitatem assereret , quam alta , quam divina sint , quæ scripsit , testatur universa illa Historia Evangelica , præsertim primum illud caput sui Evangelii , cujus tanta est majestas & sublimitas , ut divinum planè requirat ingenium : non enim quosvis promiscue ad sui investigationem , nec intelligentiam admittit , sed eos tantum , quos divina illustraverit gratia , & præparaverit humilitas. Verùm cum ad sanctissimam illam fœminam Electam esset scripturus , vel ad Gajum , non ita excelsa illis meditanda tractavit. Quin eorum captui sese attemperans , ut in charitate , & in sana doctrina persistent , nec ut ipsam suis cordibus revulsam patiantur , exhortatur.

Idem observatum inveniet in plerisque aliis doctrinis sacris , quicumque in ipsis paulò exercitior fuerit. Hinc factum est , ut Græci Patres Panthenus , Heraclas , Origenes , Clemens , Tripho , Dionysius , Anatolius , & alii quamplurimi viri ut pietate , sic cognitione cælestis Philosophiæ conspicui , ab Apostolis eruditi , in prima illa & frequentissima Christiani nominis Schola Alexandrina instituerint , imitantes Christum & Apostolos , hanc quam assignavimus , duplicem docendi rationem , in Christiana Ecclesia debere observari , ut aliter docti , secus verò simplices erudiantur. Illis ut inserviant Scholæ , & templa , his verò templa : illis ut percipiant solidioris verbi Dei cibos , quos digestos ac mansos , his simplicioribus , quos tamquam parvulos in Christo nutriendos suscipiant , administrent. Latinis verò qui semper virtutis æmulandæ cupidissimi fuerunt , placuit illa ratio docendi , tradente forsàn illam consuetudinem Petro Romæ , vel Athanasio Treveris , cum illic sub conditione exulis ageret. Et ita ab Apostolorum inde ætate ubicumque Ecclesias ali-

quot

quot erectas fuisse legimus, mox sese exerit vestigium aliquod alicujus Scholæ vel lectionis, in usum & beneficium Presbyterorum institutæ, præter communem, & ordinariam verbi Dei declamationem, cujus fructus in universam multitudinem extendebatur. Et hæc ratio docendi ut opportuna & apprime necessaria, ita summa cum religione ad nostra usque tempora fuit observata. Habet enim Ecclesia Catholica viros tum pietate, tum etiam eruditione insignes, qui non tantum in Scholis dogmata nostræ fidei nervosè apud eruditos confirmant, & scripturis corroborant, verùm apud rudes & indociles tanta venustate, prudentia, spiritu, atque amore & facilitate, verbum crucis proclamant, ut dissertis suis declamationibus animos vel maximè duros excitent, commoveant, urant, afficiant, & in divinum amorem rapiant. His de causis, omnes qui ad hoc vitæ genus adspirant, sapienter & graviter pronuntiavit Paulus, bonum opus ipsos desiderare. Et rursus: Omnes qui in eo rectè & sincerè versantur, ab omnibus debere amari, atque summo haberi in pretio. Dixit enim Paulus ad Thimotheum: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* (1. Ad Thim. 3.) Et ad eundem scribens dixit: *Qui bene præfunt Presbyteri, duplici honore digni sunt.* (1. Ad Thim. 5.)

CAP. II.

QUIBUS REBUS EUM INSTRUCTUM
esse oporteat qui munus docendi in Ecclesia
suscipit.

CUM instituto nostro primario non congruat altera illa ratio docendi, quam Scholasticam esse diximus, sitque animus Concionatorem tantum, non Doctorem informare, illa præterita, in suamque opportunitatem rejecta, alteram quam Ecclesiasticam seu proclamatoriam appellavimus, explanandam poliendamque prosequemur.

Quicumque igitur hanc proclamandi functionem in Ecclesia utiliter atque honorificè obire voluerit, quatuor in primis ipsum habere est necesse, si modò fructuosè præclarum docendi munus exequi voluerit: doctrinam, seu morum probitatem, spiritum, & vocationem. Doctrina duplex est, altera rerum divinarum, quam Theologiam propriè nominant: altera humanarum, in quibus non tantum artes appellatas liberales, & Philosophiæ partes in Scholis tradi solitas complectimur, item linguas, verum etiam civilem quamdam disciplinam, atque iudicium de negotiis politicis. Utraque autem doctrina Concionatori admodum est necessaria: illa quidem ut dogmata Christianæ religionis sinceriter inculcare, bonos in piis catholicisque opinionibus confirmare, malos & non rectè sentientes confutare queat. Hæc verò ut cum dexteritate & gratia majore omnia faciat, necnon omnis generis vitia quæ apud diversorum ordinum homines obtinuerint, in lucem protrahat, ac condemnet.

Quantum laboret Ecclesia Catholica circa hanc partem, præsertim per universam Provinciam Belgicam, & Regnum Galliarum, non facilè dixerim. Nescio quo pacto res se habeant in Italia. Cum essem in Belgica, diligenterque observarem cuncta quæ ad religionem pertinerent, vidi præclarissimum illud munus verbi Dei proclamandi passim viris, utinam non pueris aut juvenibus, tam indoctis commissum, ut miserabiliter lamentatus sim sortem tum populi, tum etiam Pastorum. Simul etiam sum detestatus turpissimam quorundam Episcoporum oscitantiam atque conniventiam, quibus non magis hæc sunt curæ, quam si ad ipsos hac de re anxios esse non spectaret, vel quasi hæc res nullius esset momenti, parumque animarum tum suæ, tum etiam suarum ovium interesset, num doctus aut ineptus sit concionator, num hæreticus aut Catholicus, num vocatus aut ingestus, num fur aut Pastor, cum hinc ruina Ecclesiæ, hinc hæreses, hinc abusus, hinc nimia illa & effrænis in omnia vitia sequatur licentia. Pastores qui nec semel in vita, vel se intuendos, suamque vocem audiendam ovibus suis ostenderunt, quale spe-

ſperant iudicium? Miror vehementer quod hęc dum vi-
vunt, ipsos horrenda aliqua formido divini vultus in se
commoti, & maximè succensi, ob sanguinem suum ne-
glectum, neglectamque animarum salutem, non corripiat.
Numquam profectò tam à desperatis res Ecclesiæ in Ger-
mania, nec in Anglia agerentur, si hujus rei debita ratio ab
Episcopis habita fuisset in tempore. Quo pacto juvenis
vix ingressus vigessimum annum, qui nec scholam aliquam,
nisi privatam alicujus Grammatici visitavit, poterit intel-
ligere, quæ sana, quæ verò sit falsa doctrina, opportuna,
vel importuna? Quo pacto si populus apud quem est dic-
turus, aliqua falsa opinione laborat, poterit ejus falsita-
tem enucleare, enucleatam verò confutare, & veram le-
gitimamque doctrinam illi errori adversantem, ex scrip-
turis perspicuè & dilucidè eruere, & illam amplectendam
populo proponere? Minimè quidem. Digressus sum à pro-
posito instituto, ut rem animadversione dignissimam ocu-
lis piorum intuendam objicerem, qui rei dignitate, ca-
lamitatisque exulceratæ Ecclesiæ acerbo dolore tacti, au-
ribus eorum, qui tam gravissimo malo mederi possunt,
quando per opportunitatem licuerit hæc (quæ utinam non
usque adeò essent vera) inferant.

Diximus & negotiorum cognitionem Concionatori ne-
cessariam esse. Siquidem quomodo adversus usuras, mul-
tosque iniquos contractus, aut etiã pravas aut invete-
ratas consuetudines vulgo receptas sermonem prudenter
instituet, qui negotiorum civilium non habet aliquan-
tam cognitionem? Isaias cap. 22. improbans vana consi-
lia, quibus impii tempore belli magis quam Deo confide-
bant, & multis aliis locis, quibus varia peccata redarguit,
satis declarat se rerum civilium non fuisse ignarum, quin
tam exactè in illis fuisse versatum, quasi is ipse privatis illis
negotiis exercendis diu intentus fuisset. Quod palàm tes-
tatur exhortatoria illa reprehensio quam capit. 58.
scriptam reliquit mercatoribus sui temporis, quibus ita
consuluisse legimus: *Dissolve colligationes impietatis, solve
fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt, libe-
ros, & omne onus dirumpe*: quæ & alia quàm plurima id

genus, quibus passim sua vaticinia inspersa videntur, numquam dixisset, nisi imposturas; vitiaque detestanda quibus illius sæculi fœneratores laborabant, & pauperes opprimebant, explorata haberet. Sciebat Propheta Dei, eos syngraphorum cumulos, sive chartarum fasciculos, in quibus fœnorum calumniæ continebantur, quibus etiam pauperes multo ære alieno in indies opprimebant, ipsos in suis scriniis habere. Vitia hæc utique perniciosissima legique Dei, & charitati maximè adversantia, ita detestatus est, ut vivide satis eorum auctores acri sua redargutione perstringat. Quam multa insuper vides apud Jeremiam, Ezechielem, Danielem, cæterosque Domini Prophetas, quæ non obscure arguunt, fuisse eos multarum rerum civilium diligentes observatores, atque sapientes æstimatores. Idem verò de seipso testatur Christus in plerisque parabolis, qualis illa de dispensatore iniquo. Luc. 16. de talentis. Matth. 25. atque in multis integris concionibus. Ex sacra quoque hist. Act. atque ex Epistolis Pauli, intelligi facile potest, Paulum Apost. etiam legum Romanarum & actionum forensium fuisse utcumque peritum. Ergo operæ pretium omnino est Doctores Ecclesiasticos non tantum divinas, verum etiam humanas res, inque his politicas etiam aliquo modo callere, ac tantum quidem calleant, quantum ad consulendum gregi sibi concredito, maximeque ad prohibenda omnis generis vitia, erit necessarium.

Comperiet quidem hanc rerum civilium cognitionem Concionatoribus, qui palabundos, atque vagos hominum animos suis doctrinis reformare intenderint, apprime semper necessariam fuisse, qui universam Scripturam Sacram tum veterem, tum novam attentione aliqua percurrerint. Quid enim civilius aut modestius umquam tractari potuit, quam id quod 2. Reg. 12. cap. à Natham factum legimus? Qui cum Deo jubente, ut David execrandi homicidii Uriæ, ob thoralem sociam eidem furto ereptam redargueret, & ad pœnitentiam inclinaret, non irruit in ipsum Regem, quem Christum domini esse sciebat: nec incivilliter aut contumeliose ipsum lacescere præsumpsit, ne acer-

bitate exprobrationis plus regium exulceraret animum, quam gravitate criminis ipsi nudata, invitaret ad pœnitentiam. Non enim ipsum adulterum, latronem, raptorem, aut homicidam, quamvis esset, proclamavit. Neque ipsum crucem meritum, animo indignabundo pronuncia- vit. Sed quid? Egregia similitudine, pulcherrimoque pa- radigmate enarrato divitis & pauperis, æquissimam sui ipsius condemnationem singulari dexteritate ab ipso ex- torsit, ipsumque ut in se justissimam pronunciaret senten- tiam, effecit. Qua industria ira Regis animus fuit commo- tus, ut regalibus insignis abjectis, majestatisque solio re- licto, humi cubans, cinere capite inspersus, lacrymis per genas copiosè decurrentibus, sacco indutus, pecca- tum suum cognoscens miserabiliter se peccasse lamenta- retur. Quod si alia ratione ipsum fuisset aggressus, irritas- set forsitan peccatorem, tantum abest, ut ad pœnitentiam ejus emolliret præcordia. Idem observabit in reli- quis omnium Prophetarum concionibus qui diligenter hu- jus rei exempla quæsiverit. 3. Reg. 20. cap. legimus alium quemdam virum de filiis Prophetarum percussum, vulne- ribusque imperante Domino facie deformata, regi Acha- sese obvium obrulisse. Cumque Rex transisset, crimen com- missum cum singulari modestia objecit.

Discat hinc Concionator, ita suas redargutiones forma- re, ut auditores plane percipiant se non velle inurbanitate cujusquam dignitatem, aut officium, personamve, offen- dere, nec vindictæ se esse avidum, aut odii vel alicujus li- voris in aliquem scintillas pectore reconditas gerere. Sed tam esse omnium salutis amantem, ut vitia quæ hanc impe- diunt, aperta insectatione persequatur. Non tamen volu- mus ipsum ulla ratione ad alicujus personæ quantumvis magna sit, magnæque dignitatis vitia connivere, cum ea sit sui officii majestas atque excellentia, ut libertate Chris- tiana auctoritate Christi suffultus, cujus partes agit, in ad- ministratione illius honorificentissimæ functionis cujusvis crimina arguere ac reprehendere possit ac debeat. Adeo, ut cum nemo sit, qui Concionatoris sententiam omni- cum pietate non debeat suscipere, atque admirari; nul-
lus

Ius etiam sit, quem ipse in hac causa debeat revereri, aut dignitatem seu potentiam extimescere. Ut autem id cum fructu faciat, omni offensione sublata, maxime requiritur illa civilium rerum quam diximus cognitio. Quæ nisi dono Dei, felicitateque naturæ sit comparata, & rerum antea actarum aliquanta experientia perfecta, conjiciet se Concionator in varia & apertissima discrimina. Sic debet vitia corripere, ut dum maxime ipsa detestari videtur, tunc charitatis incendio in personas accensum sese ostendat. Verum ea moderatio est semper adhibenda, ut quantumvis Concionator invehatur in vitia, quibus rem publicam contaminatam, laborantemque viderit, personas numquam prodat. Nisi persona sit publica, cujus actiones manifesta vitæ improbitate sint contaminatæ, & scandalum pessimumque exemplum reliquis inferioris ordinis hominibus sordidis suis vitiis præbeat. Tunc enim publicè sunt vitia arguenda. Ne id privata tantum auctoritate affirmare videamur, proferam in medium, Christum Redemptorem omnium Concionatorum Magistrum, qui Pharisæos, Scribas atque legis Sacerdotes publicè reprehendebat, palamque ipsis sua turpissima vitia acriter exprobrata intuenda oculis subijciebat. Matthæi 15. *Hypocritas* eos vocat: idem facit. 22. & 23. In quo capitulo eosdem dicit *sepulchra dealbata, serpentes*, atque *viperarum genimina*. Item Luc. 13. & 11. Joannis 8. legimus, eisdem Christum exprobrasse: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*. Nec tantum Judæos suorum criminum quæ publica erant palam insimulabat, atque vincebat, verum ipsos suos Apostolos dura increpatione corripuit. Nam Petrum aliis discipulis audientibus, *Sathanam* appellat. Matthæi 16. Falsos prophetas lupos vocat rapaces. Matthæi 7. Herodem vulpem, Matthæi 13. nominat. Joannes etiam Baptista non dubitavit publicè Herodem arguere ob fratris uxorem raptam, atque detentam: *Non licet tibi*, dicebat, *habere uxorem fratris tui*. Matthæi 14. Paulus item publicum fornicarium manifesta sententia scripto damnat, fideliumque communione ipsi interdicta

Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, ipsum tradidit. 1. Corinth. 5. *Omnino (inquit) auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat, &c.* Idem etiam Apostolus 2 ad Timot. 1. Phyletum & Hermogenem distinctè nominat, ut qui ab sua doctrina ad adulteratas opiniones defecerant. Expressè etiam Hymenæum & Alexandrum ararium. 1. ad Timot. 1. inducit apertè nominatum. Docuit Paulus suum discipulum Timoth. 1. 5. peccantes coram omnibus esse arguendos, ut & ceteri timorem habeant. Idem etiam eundem informans inquit, 2. Timoth. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obseca, in omni patientia & doctrina.* Sed & Titum cum pro personæ varietate aliter atque aliter illi docendum fore, admoneret, ubi multa quæ doctrinam omnium ordinum homines concernunt esset præfatus, tandem concludit: *Hec loquere & exhortare & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* cap. 2.

Verum semper est observandum illud consilium Pauli, quo Titum in hoc genere dicendi instructum esse voluit, quando ipsum, cap. 2. exhortabatur mansuetudinem in increpationibus retinendam tum circa Principes, tum etiam circa Potestates ac reliquos universos alios subditos officii commonefaciendos, ne si severiore correptione fuerint auditores exacerbati, existiment Concionatores in ipsos imperium affectare, ita ut religionis prætextu tyrannide opprimere ipsos velint. Quam opinionem uti perniciosam ac falsam Corinthiorum cordibus obstripatam prorsus esse volebat Paulus, cum 2. Epistolæ ad Corinthios cap. 1. dixit: *Non quia dominemur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.* Erit operæ præteritum prædicatori, si observet in Epistolis Pauli, quanta benignitate, quàm paterno affectu delinquentes atque peccantes Apostolus arguat. Nunc filiolos vocat, *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,* ad Galat. 4. Alias se in visceribus Jesu-Christi ipsos Philipenses amare testatur. Ad Philip. 1. *Os nostrum (inquit) patet ad vos ò Corinthii, & cor nostrum dilatatum est.*

2. Cor. 6. Alibi infirmatur cum infirmis, uritur cum scandalizatis: *Quis infirmatur* (inquit) 2. Corint. 11. *& ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Res est sane observatione dignissima advertere, quanta industria & artificio conetur Paulus vacillantes in fide confirmare, revocare aversos, distantes trahere, infirmis animum adjicere, afflictos ac tristes lætos reddere, ignorantes docere, terere obstinatos, consternatos erigere, ac tandem omnes adjuvare. Quæ omnia singulari profectò dexteritate facta comperiet, qui vel tantillum judicii his doctrinis contemplandis intenderit. Exhortatur quosdam, paulò post eosdem rogat, atque obsecrat. 1. Corinth. 9. *Omnibus tandem omnia fit, ut omnes salvos faciat.* Discedet profectò strenuè institutus in hoc genere dicendi Concionator, qui seriò animum ad lectionem Pauli composuerit. Qui cum in tertium Cælum fuerit evehctus, illicque Christum suæ doctrinæ formatorem habuerit, inde reversus admiranda felicitate sacrum illud obivit munus. Adeò, ut nemo sit, quem magis sibi imitandum declamatores verbi Dei debeant præponere, quam hunc sacrum Apostolum.

Ostendimus (sufficienter satis ut arbitror) quo pacto liceat concionatori, auctoritate divina suffultus, protervos atque duros animos aspera comminatione, vitiorumque exprobratione, tanto acerbius insectari, quanto verbo Dei magis rebelles fuerint. Simul etiam ex Scripturis evicimus, quomodo reliquos alios infirmos peccatores ad pœnitentiam, vitiorumque detestationem sit inducturus, nempe benignitate, & speciosis Sacrarum Scripturarum exhortationibus propositis. Placuit mihi semper sententia illa Chrysostomi, quæ mirandum in modum alteram nostri instituti partem confirmat. Nihil enim inquit, ita confert ad hoc, ut qui audit, persuadeatur ad recipiendum quæ dicuntur, atque si cognoscat, quod cum magna dilectione dicantur. Verùm non minoris ponderis est etiam futura sententia Ambrosii apud omnes qui sacram hanc functionem administrant, quàm illa prima. Nihil etiam ait Ambros. in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam tur-

pe apud homines, quàm quod sentiat non liberè denun-
ciare. Siquidem scriptum est: *Et loquebar de testimoniis
tuis in conspectu regum, & non confundebam.* Psalm. 118.
Et Ezechielis 3. *Fili hominis speculatorem dedi te domui
Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex
me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non an-
nunciaveris, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua
impia, & vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur,
sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Vehemen-
ter etiam hanc eandem observationem advertendam com-
mendat Cæsarius Episcopus Arelaten. Homilia octava,
ejus hæc sunt verba: Quotiescumque fratres charissimi,
tam pro vestra, quàm pro mea salute, mihi necesse est,
aliqua dura vel aspera prædicare, considerantes pericu-
lum meum, debetis hoc æquanimiter ac patienter acci-
pere, quia prædicatio aspera ægrotis medicamenta pro-
videt, sanis ornamenta componit. Non enim leve est,
quod per Prophetam Spiritus Sanctus Sacerdotibus Domini
comminatur: Si (inquit) non annuntiaveris iniquo iniqui-
tatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram. Quan-
do verò debeat potentissima arma militiæ suæ & acutissi-
ma, Concionator in peccatores vibrare, & quanta vehe-
mentia & industria, ne dum prodesse studet, magis incru-
descant vitia; rerum civilium notitia, & prudentia huma-
na ipsum docebit. Semper tamen meminerit se animarum
negotium agere.

CAP. III.

REQUIRITUR ETIAM IN DOCTORE

Evangelico vitæ probitas.

Requirimus etiam in Doctore Evangelico vitæ probi-
tatem, quando nihil prodest Ecclesiam Dei ædifica-
re sermone, si malis moribus quod extructum est dirui-
tur: vita proba veluti sigillum est, quo sana doctrina apud
auditores confirmatur. Non sum ejus sententiæ, ut existi-
mem alios non esse admittendos ad sacram hanc pro-
cla-

clamandi functionem, nisi eos qui eximiis virtutibus conspicui extiterint, cum certè sciam nos omnes esse peccatores. Verùm cuperem eos qui honorificentissimam hanc Provinciam in Ecclesia sustinent, sui officii admonere, quod eam vitæ rationem postulat, quæ nec doctrinæ detrahat, nec auditoribus scandali ullam præstat occasionem, cujus causa deterreantur à virtutis studio auditores. Solet enim mirandum in modum puritas vitæ in Concionatore auditores afficere, ipsosque in eam inclinare sententiam, quam Ecclesiastes declamando auditoribus sequendam amplectendamque proponit. Econtrà verò, extenuat improba & iniqua vitæ ratio doctrinæ virtutem ac dignitatem. Idcirco Apostolus multa diligentissimè præscripsit; quales Episcopos seu Presbyteros, itemque Diaconos cum tota domo sua esse oporteat, & quibus virtutibus exornatos, & à quibus vitiiis cupiat immunes, quando scribens ad suum discipulum Thimothæum in prima Epistola capite 3. dixit: *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, &c.* Idem etiam docuit Titum discipulum suum in hac causa observandum, cui dixit, capite primo: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quamvis illud addendum, ubi non datur prorsus tales omnique ex parte beatos habere Concionatores; quales optamus, at ferre amplectique eos debemus, quorum doctrina sana est, nullaque hæresum vel impiarum opinionum scabie infecta. Probat Paulus ad Philippenses 1. Christum prædicari, à quibusdam quidem & propter invidiam & contentionem, à quibusdam autem & propter bonam voluntatem. *Quidam ex*

charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincerè existimantes pressuram se suscitare vinctulis meis. Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Nemo sine vitii nascitur, magna est semper humana fragilitas, & undique semper miseros circumstant quasi domesticæ quædam furia, ad peccandum assiduè incitantes. Similiter calumniæ effugere morsus potest nemo.

Ac nusquam non (hoc præsertim tempore) videas malignum vulgus, quid dico vulgus? imò eos quoque qui multum supra plebem sibi arrogant, eruditionis vel ambitionis ergo, dentes acuere ad obtrectandum viris bonis Dei verbi Catholicis ministris, etiam cum nullam nanciscantur causam, nisi eam quam invidia, vel dolor alterius felicitatis ipsis administrat. Noverunt maligni bonos viros, suasque defecatas actiones, magna apud viros graves onerare invidia, & ingens odium ipsis conflare. Sed sapiunt hi ad quos malevoli alios honestos viros deferunt, ob idque non ita temere aures eis præbent; quod si præbuerint, expectantes se aliquid boni ab ipsis audituros, mox subolentes saniem atque pus, quod evomunt, quibus existimationes bonorum doctorumque virorum dehonore præsumunt, eos (quamvis modeste) dimitunt vel à se abigunt. Sciunt enim, quòd quemadmodum Apostolus quàm graviter descripsit, qualem esse Presbyterorum vitam oporteat, tam etiam providè & sapienter monuit, accusationem adversus Presbyterum non esse admittendam, nisi sub duobus ac tribus testibus. 1. Timoth. 5. Utinam viri graves qui de religione Catholica quàm optimè semper mereri student, adverterent quorundam hominum ingenium, & professionem quibus hoc vitium ferè est innatum. Quos tanta dominandi, ambitionis, atque propriæ existimationis procurandæ incessit cupido, ut interdum hujus consequendæ gratia miserabiliter Doctorum virorum nomen alioqui honestum & amabile, falsis delationibus, aut criminationibus polluant, atque deforment.

Sed quid? Mens boni rectique conscia conservat patientiam. Est quod mirificè viros ita exulceratos consolari solet. Quod falsi malignique delatores poterunt famam his maculis inspersionem sordidare, mentem verò minimè. Poterunt nomen Catholicum Catholicis viris eripere, minimà verò mentem, neque animum Catholicum, qui ad mortem usque amorem constantissimum erga Romanam Catholicamque Ecclesiam, sacras suas doctrinas divina adjuti gratia retinebunt, & vel morientes vehementer spirabunt. Præterea sciunt Deum futurum ultorem. Incredibilem alacritatem hæc cogitatio Doctorum virorum animis pariet, cum intelligant Deum suas causas ulciscendas suscipere, earumque æquitatem vel iniquitatem perspectissimam habere, libenterque sui suorumque laborum justissimam habiturum rationem, si modò juxta consilium Pauli ita vitæ actiones instituunt, ut *nemini dent ullam offensionem, ne vituperetur ministerium eorum. Sed in omnibus se exhibeant sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, ut seductores & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti.* Quæ omnia amplissima vitæ ornamenta Dei ministris usque adeò necessaria sunt, ut Paulus in 1. Corinth. cap. 4. dicat: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Contendet igitur pius Ecclesiastes ita se his clarissimis exornari virtutibus, ut si earum excellentiam attingere non possit, saltem earum amore ac desiderio omnes percipiant ipsum teneri.

CAP. IV.

TERTIO LOCO DIXIMUS CONCIONATORI

necessarium esse Spiritum Sanctum.

Concionatores Evangelici non sunt litteræ ministri tantum, perinde atque olim erant Scribæ ac reliqui Judæorum prædicatores, Pharisei scilicet, atque Scribæ, & Sacerdotes Mosaici. Hi enim ministri dicuntur legis ac litteræ, quia suis concionibus tantum ostendebant, quæ erant faciendæ atque observandæ, quæ erant legis præcepta, & quanta animadversione plectebantur legis transgressores. Hoc tantum præstabant Sacerdotes illi legales, qui rempublicam Judæorum in lege Domini instruebant. Atqui ministri Evangelici, quales sunt Concionatores Ecclesiæ, non sunt ministri litteræ, sed spiritus: dicunturque ministri spiritus, quia non tantum quæ sunt faciendæ, atque observandæ docent, verum ostendunt unde nobis sunt expetendæ vires legis præceptis custodiendis efficaces. Ministri igitur legis docebant litteram legis occidentem, Evangelii verò ministri docent spiritum vivificantem legem & animos. Hac ratione ergo excellunt Concionatores Evangelii Scribas illos Pharisæosque ac Sacerdotes. Siquidem illi interpretabantur solum litteram, hi verò proclamant spiritum, quo lex custoditur. Tractavit hoc Augustinus eleganter satis lib. 2. cap. 7. contra adversarium legis & Prophetarum. Constat igitur hinc duplices esse Concionatores, quosdam scilicet litteræ, alios verò spiritus, & gratiæ. Quicumque ergo in lege Moysi fuerit bene institutus, intellexeritque, quæ sunt præcepta Decalogi, Cæremonialia, & judicialia, quæ etiam pœnæ præstituantur eis, qui illa transgressi fuerint, docuerit populum hæc omnia fore servanda non amore justitiæ, sed formidine pœnæ, is erit verus minister litteræ. Qui verò intellexerit legem spiritualem esse, id est spirituales suos observatores facere, non tantum corpo-

ralem observationem requirere, eamque non solis nostris viribus, sed Spiritus Sancti virtute à nobis adimpleri posse, docueritque per Christum nobis virtutem illam contingere, qua peccatorum remissionem, & animarum justificationem consequamur, qua etiam legem observemus, quæ omnia operatur in nobis Spiritus Sanctus, is enim erit verus minister spiritus, & Evangelii: dicitur minister Evangelii, quia in illa sacra Evangelii historia continentur hæc omnia facta per Christum in beneficium animarum.

Illos ministros idoneos faciebat Moyses, instituebanturque in Schola illa Hierosolymitana, quæ ut Historia Apostolorum refert capite secundo, fuit illa ætate florentissima & omnium nationum hominibus refertissima: *Erant* (inquit Lucas) *in Hierusalem habitantes Judæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub celo est.* In illa Schola se informatum fuisse Paulus 1. ad Galatas testatum nobis reliquit: *Proficiebam* (inquit) *in Judaismo supra multos coetaneos meos in genere meo abundantius amulator existens paternarum mearum traditionum.* Hos verò ministros spiritus, docet Spiritus Sanctus: Apostolos docuit Christus totum triennium, tantum enim temporis cum Christo fuerunt, in quo variis sermonibus nunc eorum privata causa institutis, alias etiam in aliis doctrinis, quas aliorum gratia Christus proclamabat, semper erudiebantur. Privatim etiam fuit doctus Evangelista Joannes, quando pectori inclinatus recubuit. Jacobus, Petrusque & Joannes in transfiguratione in Monte Thabor. Verùm plenissimè ac perfectissimè fuerunt omnes Apostoli eruditi, & de Sacramentis redemptionis Generis Humani plenissimè informati in ipso sacro die Pentecostes: tunc enim pro sua capacitate acceperunt amplissima illa Spiritus Sancti dona, quæ Isaia cap. 11. relata continentur, Spiritus scilicet Domini, *Spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis*, & repleti fuerunt spiritu timoris Domini. Paulus qui tunc temporis gregi Domini nondum erat cooptatus, *Notum* inquit ad Galat. 1. *vobis facio fra-*

tres Evāgelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Domini nostri Jesu-Christi. Et 2. Corinth. 12. dicit se scire hominem qui fuit raptus usque ad tertium Cælum, qui etiam vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Fuit idem Paulus quem Deus ita raptum in tertium usque evexit Cælum, illicque ipsum docuit arcana illa sacramenta nostræ fidei, quæ tanta cum gloria ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum proclamavit. Proinde in illa secunda quam ad Corinthios scripsit Epistola capite tertio Deo optimo maximas agit gratias, qui se atque alios coapostolos per Christum idoneos fecit ministros novi Testamenti, non litteræ, sed spiritus: *littera enim occidit, spiritus autem vivificat*, dicit Paulus. Deum optimum ipsum atque alios Apostolos idoneos ministros novi Testamenti affirmat creasse, ut innuat non carnem, neque externam mundi sapientiam Athenis, nec in Scholis Hierosolymitanis, nec alibi ipsos ad honorificentissimam illam Christi Provinciam administrandam informasse, nec exaltasse, sed divina solius Dei virtute ad sacram illam administrationem obeundam fuisse evectos. Aequum enim erat, ut qui spiritus futurî erant ministri, quique res spirituales ad populos orbis erant delaturi, ab ipso maximo & principali spiritu erudirentur, non à spiritu carnis aut mundi, qui cum sit *animalis, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei*. Quemadmodum igitur Apostolis atque Prophetis, ut sacri testantur libri, fuit necessaria gratia, & virtus Spiritus Sancti, quæ sincera, atque fideliter verbum crucis populis annunciant, pari modo & Concionatoribus nostri temporis donum ejusdem Spiritus Sancti est in primis necessarium, cujus virtute atque potentia freti, strenue Divini Verbi semina hominum cordibus injiciant, ob idque dicimus spiritum Concionatoribus necessarium esse: quia *sicuti enim nemo hominum novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei, & cui voluerit is revelare.*

Ob hanc causam ex vetustissima & laudatissima consue-

tudine in Ecclesiam inductum est, ut Ecclesiastes non prius sacras auspicarentur conciones, quam Spiritus Sancti postularent auxilium, qui mentibus eorum illapsus, veritates populis proclamandas suggereret, mentesque sua divina gratia illustraret, & errare non permetteret. Id quod hucusque religiosissime in nostris etiam observatur Ecclesiis & concionibus. Solus enim Spiritus Sanctus in tradenda veritate magister est, teste Christo Joan. 16. & Paulo 1. Corinth. 2. Christum refert Joannes, dixisse: *Abhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ut autem Spiritus Sanctus Concionatoris illabatur menti atque cordi, est priusquam dicat orandum. Hanc orationem usque adeo Concionatoribus necessariam esse intellexerunt patres illi primitivæ Ecclesiæ, ut numquam dicturi suggestum conscenderint, nec lecturi ad lectionem sese composuerint, nec ad aliud quodvis sacrum studium meditandum sese ornaverint, quin oratio opus præiret. Docet hoc luculenter satis Chrysostomus in sermone quodam de patientia & consummatione hujus sæculi, ubi orationis iis exercitiis quæ diximus apertissimam formam scriptam reliquit. Cujus hic verba referre, non absurdum existimavi. Cum ad sedendum (inquit) vel legendum, vel etiam audiendum alium, te apparas, ora primum Deum, dicens: „ Domine Jesu-
 „ Christe aperi oculos meos, & aures cordis mei, ut au-
 „ diam eloquia tua, & intelligam, & faciam voluntatem
 „ tuam, Domine, quia incola ego sum in terra, ne occul-
 „ taveris à me mandata tua, sed revela oculos meos, &
 „ considerabo mirabilia de lege tua. In te enim speravi
 „ Deus meus, ut tu cor meum illustres? „ Commendatur à
 Socrate Constantinopolitano, tripartitæ Historiæ, lib. 8. c. 9. Pyterius, orare ante prælectionem semper solitus. Hieronymus expositurus locum Micheæ, cap. 1. *In Geth nolite annunciare*, optat se adjuvari à Spiritu Sancto. Idem faciendum ei qui docet populum in Ecclesia, demonstrat Augustinus de Doctrina Christiana, lib. 4. cap. 15. Nihil enim potuit statui oportunius, quam quòd precones verbi
 Dei

Dei ante verbum orationem instituerent. Siquidem David qui Spiritus Sancti vates fuit eximius, non aliter se iniquos docere credidit posse, nisi Spiritus Sancti suffultus praesidio. Quod abunde satis nobis testatum Psalm. 30. fecit, quando dixit: *Domine Deus spiritu principali confirma me, & docebo iniquos vias tuas.* Is idem sanctissimus Propheta vehementer orabat Dominum, quando Psalmo 118. clamabat, dicens: *Et ne auferas de ore meo veritatis verbum usquequaque, quia in iudiciis tuis supersperavi.* Et iterum: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Timebat vir sanctus se à veritate prorsus aberraturum, si Dominus suo iudicio pateretur veritatis verbum sibi praeripi. Quid non timebit pius Ecclesiastes, cum audiat David tamen sibi timuisse? Quid non postulabit, cum legat Davidem à spiritu principali confirmationem petivisse? Enim verò doctrina Sacris Libris comprehensa, cum non à solis hominibus in Gracia, vel in Italia sit prodita, ampliata vel illustrata, sed à Deo ipso edita, & è Caelo selectis quibusdam viris revelata, minimè quidem sola ingenii humani vivacitate, etsi maximè intenta, aut humani spiritus virtute, percipi poterit, nisi divina adsit gratia, quæ inaccessibilia divina sacramenta illic recondita Concionatoribus aperiat & manifestet. Revelavit olim Pater Cælestis Patriarchis, & Prophetis clara voce, aut signis, suam mentem, quod testatur Paulus 1. ad Hebræos, ubi dixit: *Multifariam multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis.*

Deinde ut inquit ibidem idem Paulus, Unigenitus qui est in sinu patris ad nos descendens, eandem Apostolis reliquisque aliis discipulis doctrinam dum esset in vivis tradidit & docuit. Et à sua ascensione postmodum juxta suam divinam promissionem semper Deus docuit Ecclesiam suam Catholicam per suum sanctissimum spiritum, non quidem voce clara, aut signo externo, sed certissima directione & suggestionem rerum agendarum in negotiis, quæ animarum Catholicarum salutem concernebant. Justum est igitur, ut Concionatores qui præclaram illam functionem in Ecclesiis administrant, non temere de se præ-

sumentes, sibi soli fidentes, verbum exordiantur, sed divina implorata ope & gratia, cujus favore quæ maxime optant consequi possint. 2. Epistola Petri cap. 1. legimus ipsum Petrum omnibus fidelibus dixisse: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana, allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Hic non vocat Sanctus Petrus prophetiam prædictionem rerum futurarum, sed legis & Evangelii interpretationem. Cum ergo constet doctrinam, quam tractandam suscipit Concionator, non esse subjectam privatis & propriis hominum interpretationibus, eo quod res contineant quæ prorsus humanæ rationis caput excedant, sensus illarum petendus est, vel ab ipso auctore, qui est Christus, vel ab illis qui eum sensum à Christo acceperunt, qui est ostium Prophetarum, & Apostolorum, & omnium Concionatorum Evangelicorum. Apostoli verò deposuerunt in Ecclesia doctrinam quam à Christo acceperunt, non tantum scripto, sed & verbo. Ideo prudenter factum est, ut dicturi in Ecclesia oratione divinam Christi pulsarent mentem, qui spiritum suum mittere dignaretur, cujus virtute inspirati & instructi, gregem Domini de Domini voluntate informet, & in ejus obedientiam & amorem inducant.

Quòd autem inter orandum Virginis Sacratissimæ intercessionem in medium proferamus, obtinuit hoc piorum & sanctissimorum virorum circumspèctissima & vetustissima consideratio. Nam cum orandum esset, uti jam probavimus, visum est patribus, Deum optimum multò faciliùs & propensius nostris orationibus adfuturum, si Virginis Sacratissimæ intercederet oratio, quàm si sola nostra variis impedita peccatis supplicatio emitteretur. Arguit humilitatem quandam in orante Sanctorum præsentata ac procurata intercessio, quæ humilitas mirificè Christum delectare solet: adeò, ut solius se humiliantis oratio Cælos penetrare sacra testetur Scriptura. Nec alios respiciat Deus, nisi humiliatos spiritu, ac ejus trementes sermones. Nec legimus unquam contritum cor atque humili-

liatum à Christo despectum. Non est presentis instituti, illorum refutare errorem, qui Christo derogari dicunt, si orantes Sanctorum opem imploremus, quo citius exaudiamur. Mirandum in modum Christi exaltatur gloria, quando viros illos, quos ipse singulari favore atque benevolentia habuit charos, nos etiam ita veneramur & colimus, perinde atque Spiritus Sancti viva, pulcherrima, & acceptissima templa, ipsiusque Dei charos amicos. Est ipse Deus mirabilis in Sanctis suis, praesertim in Virgine Sacratissima, cujus excellentes admirabilesque virtutes, adeo sunt grandes, ut post ipsum Deum, nulla sit creatura pura, nec caelestis, neque humana, quae ipsi veniat ulla ratione conferenda. Nec sunt audiendi, necdum imitandi, qui neglecta Matris Dei invocatione, quam antiquitus in sacra illa actione, Catholica consuevit Ecclesia adhibere, alias invocandi formas, quas unusquisque pro sua finxit libidine observandas, temerè introduxit.

Faciunt nostri saeculi haeretici sanctos qui beatissima fruuntur gloria surdastres vel stupidos, qui viventium vota atque preces, neque audire, neque percipere possunt. Impium est talia de Virgine Sacratissima sentire aut credere. Non enim umquam in illam patiar me induci sententiam, ut credam Lutherum, aut Brentium, vel Calvinum, aut aliquam aliam furiam infernalem, doctiorem, aut sanctiorem Augustino, Hieronymo, vel Bernardo fuisse. Quos ob eximiam suam pietatem, atque insignem doctrinam, multis retrò saeculis, (quod vel ipsi haeretici negare minimè poterunt) veluti fulgidissima sydera per universum Orbem reliquis omnibus sui atque inde temporis insequuti viris clarissimis, suis virtutibus praeluxisse constat. Hos Patres omni veneratione dignissimos passim legimus Virginem Sacratissimam in suum vocasse favorem, quando dicendum, vel aliquod aliud negotium grave, in Ecclesia vel alibi, erat illis intentandum. In quibus aures non pruriunt, qui pietatem serio amant, nec nodum in scirpo quaerunt, fugiuntque *doctrinas varias & peregrinas*, volentes quod *optimum est, gratia stabilire cor*, (Hebr. 13.) non sunt contemptores Matris ac genitricis Dei,

Dei, quā potius ejus implerent auxilium: lubens enim miseris condolet, atque opitulatur, & peccatoribus petentibus gratiam, à suo dilectissimo filio impetrat. Quā tanto facilius exoratur, quanto majorem apud ipsum Deum favorem invenit. Tantū hoc pios obsecro lectores, ut intelligant, atque discutiant topicum illum locum, quem hæretici nostri temporis in ore frequenter habent, scilicet in Scripturis id expressè non inveniri. Non sunt hi soli, quibus Deus expressam Scripturarum Sacram dedit cognitionem, aut sui sensus patefecit sententiam. Si Scripturis Sacris invocatio Virginis adversaretur, fieretque Deo optimo contumelia, non arbitror Augustinum, nec Hieronymum, nec Bernardum, qui non modò in Sacris Libris fuerunt exercitatissimi, verum à gloria Dei temeranda aut violanda alienissimi, eos umquam ausos fuisse Virginis Sanctissimæ, & aliorum sanctorum opem invocare. Non sunt defensores verbi Dei hi hæretici, sed præsumptuosi, audacissimique oppressores. Catholici igitur Concionatores ac pius populus agnoscentes eam pro Matre, quam Deus optimus ac maximus sui filii voluit genitricem habere, auspicaturi vel audituri concionem, prius invocent Spiritus Sancti gratiam: quam citius profectò clementissimus concedet Pater, si Matris sui Filii accedat oratio. Digressionem hanc extorsit à nobis vehemens quidam dolor oppressæ atque extinctæ pietatis, qui animum meum gravissimè percellit. Siquidem video in amplissimis quibusdam Regnis, in quibus olim Virgini Sacratissimæ Mariæ summus exhibebatur honor, improbitate & audacissima quorundam ventriloquorum (*Origenes vocat hæreticos ventriloquos, hom. 7. in cap. 8. Isaia.*) dementia amplissimam Sacratissimæ Virginis dignitatem conculcatam facere: adeò, ut nec ejus Divini nominis ullam patiantur saltem honorificam mentionem fieri: tantum abest ut eam in suum subsidium invocandam dignentur. Det illis Dominus meliorem mentem, ut aliquando sapiant.

CAP. V.

QUID EFFICIAT SPIRITUS SANCTUS

in Concionatore.

Effusis precibus ad Christum pro gratia Spiritus Sancti impetranda, meminerit Concionator illius orationis, quam ex more sanctissimo, Sacerdotes vel Diaconi rem sacram agentes, dicere solent, antequam Evangelium decantent, scilicet, Munda cor meum, ac labia mea Omnipotens Deus, qui labia Isaiaë Prophetæ calculo ignito mundasti, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum dignè ac competenter annunciem. Amen. Maxima quidem Sacramenta plerumque sub actionibus illis sacris, quas Catholica Ecclesia observandas vel dicendas stabilivit, continentur. Quæ profectò facilè degustarentur ab illis, qui attenta meditatione, in ipsis discutiendis vel paululum temporis impenderent. Oratio illa in memoriam revocat factum Isaiaë Prophetæ. Qui cum vidisset Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, essetque plena tota domus ejus gloria & majestate, audiretque duo Seraphin, quæ cantu suavissimo Deum glorificabant, velletque se illis conjungere, ut debitam cantando gloriam Deo persolveret, nec id conspecta sui cordis atque linguæ turpitudine auderet, erumpens in illam lamentabilem vocem, dixit: *Væ mihi quia tacui*, id est, *væ mihi* cuius ea est pollutio cordis & linguæ, ut indignus sim prorsus, qui laudes Deo cum Angelis audeam decantare, quæ etiam sua negotia lingua ac labiis meis sordidis debeam tractare. Erat usitatum Sanctis Prophetis, piisque Patribus, quoties Deum viderent, in istas irrumpere voces: *Væ mihi*, vel *perii*, aut *actum est de me*. Videbat Isaïas se Prophetam Domini constitutum, vocatumque ad propheticam illam provinciam obeundam, ad cujus executionem dignè præstandam, altissima vitæ requirebatur

pu-

puritas, quia se destitutum sentiebat, ob idque planè se indignum reputans, clamat: *Va mihi quia tacui*, id est, expavi visa Majestate Dei, & muneris mihi impositi excelsa dignitate, & mei cordis iniquitate patefacta. Ex officio erat sacer, quamvis alias esset peccator, quia tamen muneris sanctitati non respondet cordis integritas & labiorum mundities, fatetur se etiam ex ea parte, quæ in ipso sanctior est, esse pollutum, scilicet corde & labiis.

Appositè satis Ecclesia Catholica illam orationem Concionatoribus meditandam instituit. Qui simulatque ipsam memoria repetent, mox eorum debet subire animos hæc cogitatio: Quod si hoc Prophætæ tanto tantæque accidit sanctitatis, quid de me (dicat Concionator) ego sentiam? Quid præ illo sum, etiam si purgare me Dominus cœperit? Debemus omnes Concionatores immunditias nostras, cujus reliquiæ semper in carne subsident, agnoscere, & ex ista sacra lectione colligere omnium hominum ora impura & polluta esse, nisi à Domino repurgentur. Oremus igitur Deum cum publicè nobis dicendum fuerit, quatenus ad nos Seraphin aliquod mittere dignetur, qui advolans calculum in manu adferat sua forcipe de Altari sublatum, qui ora tangat nostra, & nobis dicat: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Dicamus cum David Concionatores: *Spiritu principali confirma me, & docebo iniquos vias tuas. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Est admodum necessaria Concionatoribus Spiritus Sancti gratia, quæ animarum ac cordium nævosas sordes speciosissimo Christi sanguine lavet, ac diluat: ut abstereso corde, vitæ actiones purificatissimæ, alioqui maximè contaminatæ, productæ, verbum Dei quod prædicant, expiatis labiorum spurcitiis cohonestent & ornent. Sicque illis liceat in Domino gloriantes dicere, quod olim Paulus dicebat ad Rom. II. *Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad emulationem provocem carnem meam & salvos faciam aliquos ex illis.* Quæ verba tantumdem valent, ac si di-

Atxisset : *Quamdiu hæc concionandi Gentibus provincia humeris meis incubuerit , conabor pro mea virili, eam ita exornare , & tam claram reddere , ut inculcata vita , & veraci doctrina quamplurimos ex Gentilibus ad Christi fidem traham ; ut per copiosum numerum collectum , illustre meum ministerium efficiam , ut ea saltem ratione aliquos ex meo Judaico genere ad Gentilium æmulandam conversionem , & religionem Christi amplectendam provocare possim. Clarissimam profectò sui officii administrationem faciet Concionator , qui Spiritus Sancti tanta perfusus gratia fuerit , ut peccatorem se confiteatur. Et cum ejus virtutem divinam proclamet , qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere , non modo ex eorum numero cum Paulo non veretur se esse fateri, verùm etiam dicere : *Quorum primus ego sum.* Curabit strenuè peccatorum causam , qui se peccatorum culpis gravatum & onustum judicaverit , qui nullam aliam puritatem, innocentiam , aut justitiam se habere intellexerit , nisi eam , quam Spiritus Sanctus ex Christi pectore depromptam ipsi misericorditer instillavit. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, inquit ipse Paulus. Hic est primus effectus quem pius & Catholicus Concionator optabit , quod Spiritus Sanctus in sua efficiat anima , conscientia & corde.*

CAP. VI.

SECUNDA RATIO QUARE DICAMUS

Spiritum Sanctum necessarium esse Concionatori.

Est necessaria Concionatoribus Spiritus Sancti gratia, quam vulgo spiritum appellari solemus : siquidem hic spiritus verbo mortuo vitam præstat , & litteræ occidenti confert spiritum vivificantem , & carni per se arescenti vitam inspirat. Nominè spiritus hic non intelligo,

creaturam aliquam spiritualem viventem, quales sunt Angeli, vel animæ: sed nomine spiritus intelligo potentiam quamdam singularem facultatem & vim proponendi sanam doctrinam, necnon dicendi, & movendi, trahendique animos ad eam, quam dicendo intendis mentem vel religionem. Quicumque igitur ita verbum Dei proclamat, sacrasque ita illustrat Scripturas, ut ipso dicente auditorum animi mox in eam inclinent sententiam, ita ut abjurata Gentilitate vel Judaismo renuntiato, aut detestato Lutheranismò, aut Calvinismo abominato, palam Catholicam Ecclesiæ Romanæ fidem ac religionem animo infracto confiteantur, his profectò non litteræ sed spiritus ministerium in illa concione est executus. Quando auditores purissimos amplissimosque fructus percipiunt, & non sunt vel quam paucissimi, qui aliquid seu infrugiferum improbare, vel rejicere audent, tunc qui concionatur minister est spiritus.

Hæc facultas seu vis dicendi vocatur in Scripturis Sacris multifariam: nunc dicitur potentia: alias fiducia loquendi, alias potestas, alias spiritus, alias ostensio spiritus sive potentia. Sic namque de Christo Evangelistæ testantur, quod docebat *ut potestatem habens*. Matthæi 7. Et discipuli euntes in Castellum Emaum tum dixerunt, quod Jesus erat *vir potens in opere, & in sermone*, teste Luc. cap. 24. *Et stupebant super doctrina ejus*, inquit Marcus, cap. 1. *Erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scriba.* Et Luc. 4. cap. dicit iterum, quod *stupebant omnes super doctrina ejus, quia cum potestate conjunctus erat sermo ipsius.* Item Paul. Apost. 1. ad Corinth. 2. inquit: *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute*, id est, *in potentia Dei.* Utitur Paulus eadem locutionis formula ejusdem Epist. cap. 4. ubi dicit: *Non enim in sermone est Regnum Dei, sed in virtute*, quasi dicat: Vim sive Evangelii potentiam non esse sitam in verbis magnificis, sed in arcana interiorique quadam potestate, quam Spiritus Sanctus in auditorum cordibus ineffabili

modo operatur. Actorum 4. item legimus quod Sacerdotes, & Principes Judæorum, cum Scribis, & Senioribus, astante & Anna & Caïpha, simul & etiam Joanne & Alexandro, ac tandem quotquot erant de genere Sacerdotali, audiverunt Petrum atque Joannem dicentes, qui cum luculentissimam orationem habuissent, inquit Lucas: *Videntes autem Petri & Joannis constantiam, comperto quod homines essent sine litteris & idiota, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant.* Est habitus Petrus in admiratione repletus Spiritu Sancto, propter libertatem in dicendo. Oraverunt Apostoli, eodem capite, inquit Luc. in hanc formam: *Domine respice in miseras eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Eodem pertinet, quod cap. 6. celebratur Stephanus *plenus gratia & fortitudine, qui faciebat prodigia & signa magna in populo;* pauloque inferius subjungit: *Quod non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur:* tanta erat potentia spiritus, quo Stephanus loquebatur, ut nulli fuerint qui ei potuerint resistere.

Ejusdem generis est quod ad Jeremiam ait Dominus: *Ecce ego dedi verba mea in ore tuo, ecce ego constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & extirpes, perdas & subvertas, adifices & plantes.* Jeremias 1. Nihil prorsus distat ab hoc genere loquendi, quod Isaias cap. 55. refert Dominum dixisse: *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quacumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Hæc & alia quàm plurima loca, quæ per Sacros Libros sunt inspersa, demonstrant manifestè, Concionatoribus verbi Dei necessariam esse hanc potentiam, sive potestatem aut fiduciam, vel libertatem in dicendo, qua Deus optimus verbum suum muniri solet. Adeò, ut si hanc divina virtute vel ardenti spiritu sermo sit destitutus, non plus sit profuturus, quam cadaver, aut res alia inanimata. Cum ergo spiritus ubi velit, soleat spirare, orationibus & humilitate ejus subsidium implorabit pius Concionator, ut ejus verba animare dignetur, ac vivificare, ut
sic

sic ejus instituta concio auditoribus illam præstet utilitatem, quæ eorum conscientiis opportuna sit futura.

Inter universos Concionatores quotquot ab ipso primo mundi principio extiterunt, nullus umquam fuit, qui eam virtutem seu potentiam, vim, gratiam, & efficaciam in dicendo sit consequutus perinde atque Christus Filius Virginis. Cujus ea fuit majestas in dicendo, doctrinarum gravitas, verborum proprietas, & corporalis habitudinis pulchritudo, ut ab auditoribus nunc ultroneam, alias verò coactam suæ excellentiæ & gloriæ manifestissimam extorserit confessionem. Refert Luc. 11. cap. feminam quandam, cum esset Christus in quodam loco, ubi de oratione disertissimam orationem habuerat, adeò accensam atque intus commotam fuisse, ut dum Pharisæi, Scribæ atque Sacerdotes illustrissimum Christi miraculum calumniarentur, ipsam admirabundam in hanc eximia commendationis vocem erupisse dicens: *Beatus venter qui te portavit, & ubera que suxisti.* Refert etiam Joann. cap. 7. quod miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum, qui reversi ac rogati quare non adduxissent eum, responderunt ministri: *Numquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur.* Audierant Christi concionem, quam, sua divina providentiâ ita disponente, ad eorum adventum exorsus fuerat. Quæ concio tam viva fuit, & tam efficax, ut vel efferatorum hominum corda altissime transverberaverit. Unde factum est, ut suavitate verbi illecti, & summa ejus reverentia tacti, à nefando facinore captivitatis intentando, quod exequuturi venerant, deterrerentur: tantum potuit verbum Christi, ut vel in ipsos implacabiles atque sanguinolentos satellites admirandam suam potentiam exercuerit. Idem etiam Joannes affirmat hyeme cum Christus Hierosolymis fuisset templum ingressus, ac Judæorum corona inclusus, Judæos admirantes suam doctrinam illi dixisse: *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis palam.* Joan. 10.

Expertus fuerat Petrus verborum Christi spiritum, si-
ve energiam, quando Christo percunctanti num & ipsi
dis.

discipuli , perinde ac Judæi fecerant , audita sacra illa concione de sui corporis esu , ac sanguinis potu , ab ipso deficere vellent , respondit : *Quo ibimus à te , quia verba vite habes.* Testatur Luc. 4. cap. quod cum Christus doceret in Judæorum Synagogis cuncti audientes , ipsum magnificabant. Et quod *omnes testimonium illi dabant , & mirabantur in verbis gratiæ , quæ procedebant de ore ipsius.* Quæ numquam de Christi verbis omnes illi tum ministri , tum discipuli , vel alias reliquæ dixissent turbæ , nisi singularem quamdam latentem virtutem , seu potentiam in ipsis Christi verbis experirentur , quæ in eorum irreperet corda , & viscera commoveret , atque inflammaret. Inde factum est , ut admirantes insolitas illas interiores commotiones , & sensus tam varios , vel compunctiones , tam magnificè de Doctrina Christi prædicaverint. Quod de suis Scribis , Pharisæis , aut Sacerdotibus , numquam prædicatum fuisse legimus , quantumvis in multas horas suas protraxerint propheticas conciones. Non enim eorum conciones ita erant ardentes , nec ita ipsi afficiebantur auditis Pharisæis aut Scribis , sicuti audito Christo. Illorum verba erant emortua , arida , atque exteriores carnis aures tantum pulsantia : Christi verò sermones vivi , ac vivificantes : hoc expressè satis testatur Joannes , cap. 6. Christum scilicet , epitheton suis verbis tribuisse , cum dixit Judæis carnalibus , suaque verba sine spiritu intelligentibus : *Verba quæ loquor vobis spiritus sunt & vita.* Vitam dicit suis verbis contentam , vel verba sua vocat vitam & spiritum ab effectu , non verbi tantum , nec litteræ , sed spiritus : quemadmodum olim ipse dixit & facta sunt , ipse mandavit & creata sunt , ita & modo solo verbo quidquid vult vivificat. Sunt Christi sermones munifici omnibus illis , qui spiritualiter ipsos perceperint. Adeò ut qui litteram spiritu orbatam attenderint , haurient profectò mortem , tantum abest ut vitam in verbo solo sint consequuturi : *Littera enim* (inquit Paulus 2. Corinth. 3.) *occidit : Spiritus autem vivificat.* Littera per se sola est *ministratio mortis litteris deformata in lapidibus.* Evangelium verò est *ministratio spiritus.* Mosaici præcones quid

lex jubeat, quid à nobis lex exigat, quæ pœnæ ejus transgressores maneant, atque præstituant, tantum proclamant. Ob idque dicit Paulus: *Littera occidit*. Nam Scriptura æternam comminatur maledictionem legis transgressoribus. Deuteron. 27. legimus Deum dixisse, *maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus*.

Verùm Evangelici præcones clamant, spiritum quo legem servemus per Christum nobis dari, cujus virtute legem servare possimus, ne transgressione accusante, atque exigenti, morti adjudicemur æternæ, quin æternam vitam, legis observantia intercedente, promereamur. Levitic. 18. legimus: *Qui fecerit hæc, vivet in illis*. Hunc spiritum habuit Christus in suis verbis, & ejus ardentem virtutem sentiebant auditores illi, qui Christo Prædicante clamabant: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis*. Apostolis, cum prædicandi provinciam per universum mundum delegavit, hunc etiam spiritum contribuit. Nam Actor. 7. legimus quod exprobranti Stephano Judæis, quod essent homines dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, & qui semper restitissent Spiritui Sancto, sicut & eorum fecerant Patres, indignabantur, adeò quod audientes dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Quæ passiones testantur, verba Stephani usque adeò viva fuisse, ut mordacissimos dentes eorum cordibus infixerint. Viri illi Hierosolymitani, postquam dissertissimam illam orationem Petri audiverant, in qua clarissima gesta Christi, summa cum admiratione referebantur, & postquam ejus divinitas multis ac solidis Scripturis fuit comprobata, & patefacta vitæ inculpatæ puritas Christi Jesu Nazareni, quem, virum approbatum à Deo in illis virtutibus, & prodigiis, & signis quæ fecit, innocentem morti ipsi tradiderunt, inquit Luc. Actor. 2. quod *his auditis compuncti sunt corde: & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apost. Quid faciemus viri fratres?* Oratio illa Petri sive concio, tantum habuit spiritum, ut interna auditorum præcordia concusserit horroreque perfuderit: adeò, ut vitæ discrimen in quo erant, extimes-

cen-

centes, de remedio opportuno inquirendo anxii percontarentur: *Quid faciemus viri fratres? Suffragio David convicimus compunctionem illam non profluxisse ex natura, nec ex legis cognitione ipsam administratam, sed Dei singulari beneficio ipsis collatam fuisse. Nam Psalm. 59. refert Propheta Judæos dixisse: Potasti nos Domine vino compunctionis.*

Exactè satis perceperat hujus spiritus energicam potentiam Paulus, quando ad vocem illam Christi eum interpellantis, *Saule Saule, quid me persequeris?* humi disiectus sedeque exturbatus totus timibundus ac tremulus deposita efferata illa sævitia, respondit: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. Quæ numquam dixisset, nisi spiritus ille de quo tractamus, verbum comitatus, vitam verbo in illo itinere in Damascum præstitisset. Hinc factum est ut, in posterum recordatus virtutis hujus spiritualis potentia, quam jam pridem expertus fuerat, dixerit in illa quam ad Hebræos scripsit Epist. cap. 4. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Et 2. Corith. 10. *Arma militiae nostræ non sunt carnalia, sed potentia à Deo ad destructionemmunitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem se extollentem adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Arma militiae quam tunc profitebatur Apostolus, non erant carnis, quæ solent esse divitiæ, gloria, humana facundia, eloquentia, adulationes, & simulationes: hæc omnia sunt arma quibus caro se suaque defendit, munus, atque corroborat opera. Talia non erant Apostolorum arma, sed multum ab his diversa. Verbum scilicet Crucis, Evangelium, & spiritus in quo Deus potentem efficaciam suæ doctrinae dignatus est collocare. Ideò dicit potentia esse à Deo, id est, quæ totam suam vim & potentiam habent à Deo: ob idque nihil est tam altum in mundo, aut sublime, quod horum armorum potentia non dejiciatur: nec tam acutum quid excogitabit caro, quod spiritus non retundat acies. Marcus refert 1. c. suæ Historiæ: *Quod præ-*

teriens Jesus secus Mare Galilea, vidit Simonem & Andream fratrem ejus mittentes retia sua in mare (erant enim piscatores) & dixit Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus secuti sunt eum. Vocavit etiam paulo post Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem ejus, quos invenit componentes retia sua, & relictis patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis secuti sunt eum. Præterea refert Luc. 5. cap. quod vidit Jesus Publicanum, qui testè Matth. 9. sedebat in telonio, & vocabatur Matthæus, cui dixit: Sequere me, & ait Lucas, quòd relictis omnibus secutus est eum.

Numquam profectò tantum potuisset verbum Christi, nec tanta fuisset nudo verbo potentia, ut relictis omnibus etiam parentibus, compelleret auditores interpellatos Christum sequi, nisi verbum, efficacia & potentia spiritus, qui facit ut corda eo inclinent, quo Christus vocat, munitum fuisset. Nec Magdalena, nec Zachæus, nec ullus mortalium, eorum qui verbum Christi expressum ab ipso prædicatum audiverunt, eam quam præstiterunt, Christo exhibuissent obedientiam, si solo simplici ac nudo verbo vocati fuissent. Utpote quod verbum ita solum ac nudum littera est occidens, tantum pertingens ad carnales aures: & cum caro non prosit quidquam, Christi verbis & Apostolorum, atque omnium aliorum Concionatorum sermonibus est necessaria illa spiritus potentia seu efficacia, qua ea quæ Concionator persuadere instituerit, animis auditorum imprimat atque insculpat. Hunc spiritum seu efficaciam, vel verbi potentiam dat Dominus per sanctum suum Spiritum, qui dividit unicuique sicut vult, & ubi vult spirat. Oret igitur Concionator, pulset, ac petat in nomine Unigeniti Filii Dei sibi dari hanc energiam verbi Dei; & petat bene, ne sibi contingat id quod Jacobus in sua canonica scriptum cunctis oraturis reliquit, scilicet, *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.*

Consulerem Concionatoribus antea quam divinam hanc proclamandi verbi Dei provinciam suis humeris paterentur imponi, vel ipsi obire tentarent, ipsos explorare pri-

prius suum ingenium , quanta valeant facultate in dicen-
do , num felicitatem illam spiritus in suis habeant sermo-
nibus , nec ne. Ut si hac singulari spiritus efficacia atque
operatione verba sua munita deprehenderint , alacriores,
atque promptiores sacram illam concionandi verbum cru-
cis functionem in Ecclesia administrandam suscipiant. Ve-
rùm si negatam senserint, aliis studiis sese tradentes , hanc
provinciam aliis aptioribus , quos Spiritus Sanctus magis
idoneos fecit , defungendam permittant. Præstabunt amici
prudentes , & sinceri egregiam operam amico se consu-
lenti , si ipsi , eorum hac de re requirenti iudicium , pe-
riculo ipsis audientibus prius facto , appuerint , quid
possit præstare. Si cum fructu , an secus , sit proclamatu-
rus. Quorum iudicio ita subjacebit Concionatoris decret-
um , ut non obstinatus contra eorum suffragia pergat
obire, quod spiritus ne tentet, admonet. Is verò quem ap-
tum Ecclesia & amici renuntiaverint , totus in gratiarum
debet actiones dissolvi , ut qui divina Æterni Patris benig-
nitate, electum sit factum Spiritus Sancti organum atque fi-
dus præco. Orabit autem continuo cum David , nec ejus
exciderit mente oratio illa hujus Sanctissimi Prophetæ, sci-
licet : *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequa-
que , quia in judiciis tuis supersperavi.* Et sic fiet , ut copio-
sum & luculentum fructum in populo Christiano sit fac-
turus : ædificabitque sana doctrina oves Christi , ipsisque
vitæ æternæ Dei verbum , quod est suavissimum anima-
rum pabulum repurgatum suppedabit. Unde Deo gloria
splendidissima , animabus verò commodum resultabit
incomparabile. Nec ipse Concionator sua privabitur mer-
cede : *Nam fulgebunt sicut sol* (inquit Spiritus Sanctus) *qui*
docti fuerint. Fulgorem illum sibi à Domino præpara-
tum sperabit se consequuturum Concionator pius ac di-
ligens.

CAP. VII.

TERTIA CAUSA, QUARE SIT NECES-
saria Concionatori Spiritus Sancti
invocatio.

Dignissima est quam omnes Christiani, in primis Concionatores Catholici, maximè advertant, sententia illa Petri, quam in fine cap. 2. suæ Epistolæ 2. scriptam nobis reliquit. Quæ sola, si sana esset mens, proculque ab animis hæreticorum nostri temporis abesset refractarius atque malignus spiritus, abundè satis sufficeret ipsis informandis de rebus atque dogmatibus nostræ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, si erudiri se paterentur, aut si veritatis investigandæ inveniendæque amatores essent. Sed prohi dolor! non quærunt veritatis speciosissimam claritatem. Sed amant tenebras, nimirum quia filii sunt tenebrarum. Dicit Brentius quidquid velit, furiat ac sæviat in oves Christi truculentus lupus Calvinus, filii sunt tenebrarum, in quos nisi respiscant brevi diabolus, qui ipsorum dominatur, est sæviturus. Diffinitio Petri ita habet: *Hoc primum scitote intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Admonet omnes Christianos Petrus, quod ea ratione sunt legendæ Scripturarum propheticarum doctrinæ, ut intelligamus earum intelligentias non esse privatæ uniuscujusque interpretationis, id est, non dependere Prophetiæ intelligentiam à privata interpretatione uniuscujusque, sed à Spiritus Sancti declaratione, qui earum est auctor, atque fons. Subjecit mox Petrus causam, quare Scripturæ prophetia ad sui investigationem privatam alicujus solam libidinem, seu carnalem quantumvis prudentem aut acutam sententiam humanam, non admittat. Quia inquit: *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt Sancti Dei homines.* Cum igitur

tur Scripturæ Sacræ, quibus populus Christianus est instituendus & de rebus divinis divinaque voluntate admonendus, pectoris Dei sint scaturigines certissimæ, necessarium est prorsus ipsis intelligendis explanandisque Spiritus Sancti gratia, quæ mentem Concionatoris, ut veritates Catholicas in ipsis Scripturis dilucidè videat, illustret, cujus virtute aliorum erudiantur intellectus, inflammentur voluntates, atque reviviscat beneficiorum Dei memoria.

13. Universa doctrina Sacris Libris comprehensa, captum humanæ rationis excedit, proinde earum sensus petendus est, vel ab ipso Spiritu Sancto, vel ab iis qui ipsum acceperunt à Christo, qui ostium est Prophetarum, omniumque doctrinarum sacrarum. Ubi Concionator gratiam Spiritus Sancti imploraverit, cum pro certo statuere apud se minimè possit, se exauditum esse, non temere præsumens ipse pro suo arbitratu interpretabitur Scripturas, nec populis quod sibi tamen videatur annuntiabit: sed Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrinas, & Sacrarum Scripturarum interpretationes amplexatus, ipsas planè perspicuè inviolatasque populos docebit. In quibus solis interpretationibus, verus genuinusque Spiritus Sancti sensus constat. Nam Christus interpretatus est legem, & prophetica vaticinia Apostolis, nec id tantum, verum refert Lucas ultimo capite suæ Evangelicæ Historiæ, quod *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Et sic, verum Scripturarum sensum, jamjam ascensurus in cælos, reservandum deposuit apud Apostolos, & discipulos. Apostoli verò atque plerique alii discipuli, cum essent mortales, eundem sensum Scripturarum quem à Christo acceperunt, reposuerunt apud Ecclesiam, quam Christus instituit erexitque, & ipsi ex ejus mandato stabilitam morientes nobis reliquerunt. Unde est maximè advertendum, quod Apostoli dictis Christi annuentes non tantum suis ministeriis nobis reliquerunt Ecclesiam conditam, confirmatam, ac solidè fundatam, verum in ipsa sacras suas reliquerunt traditiones, quarum partem viva voce ad nos usque conservatam transmisit Ecclesiastica posteritas: aliarum verò

partem scripto nobis communicaverunt Apostoli & Evangelistæ. Et tamen utrarumque par auctoritas, eadem firmitas, & æqua veritas.

Reliquerunt etiam in Ecclesia quam ipsi fundarunt eum sensum legis & Prophetarum, & omnium dogmatum Christianorum, quem à Christo acceperant. Quicumque igitur Apostolorum possident Ecclesiam, ii & Scripturas, & earum sensus veros & certos, possideant necesse est. Qui verò extra hanc sunt Ecclesiam, etiam citra controversiam fateantur necesse est, verum certumque Spiritus Sancti sensum in Scripturis Sacris elucidandis non habere. Brentius & Calvinus, & plerique alii pedagogistæ numquam hætenus potuerunt, nec umquam poterunt demonstrare, se in ea esse Ecclesia quam Christus instituit, & perficiendam commisit Apostolis. Nec ostendent umquam interpretationes suas, quas verius perversiones dixerò, ex illis sacris pectoribus Apostolorum profluentes dimanasse, ob idque veritatem concionari: stultoque sibi consulunt auditores qui veritatem sibi prædicandam ab illis expectaverint. Hoc quia ut dixi, citra controversiam est, & quia præsentis instituti non est latius probare, suo tempore tractandum relinquam. Ceterum iis ita prælibatis, Ecclesiam quem informare intendimus admonitum satis arbitramur, ut si quando veritatis inveniendæ desiderio sit affectus, vel sibi formanda fuerit concio, doctrinas Ecclesiæ Catholicæ, quæ est Romana, humiliter consulat: eos legat Doctores, quos in obedientia & fidei confessione hujus Romanæ Ecclesiæ intellexerit, transegisse vitam & objisse mortem. Nam hæc Ecclesia Romana, uti sponsa Christi pretiosissima, quæ sola columna est, & veritatis fundamentum, sanam veramque sui sponsi mentem ipsi à Christo revelatam retinet. Hæc divinam Spiritus Sancti præsentiam ex Christo benignissima promissione habet, estque perpetuò habitura in finem usque mundi: *Ecce enim vobiscum sum*, dixit Christus suis discipulis teste Matthæo, *usque ad consummationem sæculi*. Pollicetur, eis se adfuturum non tantum in æterna illa beatitudine gloriæ, in qua se illis præbebit fruendum, verum promissio illa de sua in
hac

hac mortali vita assistentia Apostolis suisque successoribus exhibenda, venit intelligenda.

Legat pius Ecclesiastes Patres illos Ecclesiæ, Augustin. Hieron. Basilium, Athanas. Irenæum, Hilarium, Cyprianum, Chrisost. qui non tantum viva voce sacros interpretati sunt libros, verum etiam scriptis luculentissimis nobis testatum reliquerunt veram atque Apostolicam & Christi doctrinam eam esse, quam Romana docet ac tenet Ecclesia. Hauriet etiam ex eis profecto sanam doctrinam, ac limpidam, totamque in auditorum reformationem accommodandam opportunissimam Concionator, qui jugi lectione ac mediatione sacris his Patribus intelligendis operam dederit. Hos Isaias octingentos annos ante Christum prædixit, cap. 60. Filios alienos futuros, qui muros Ecclesiæ suis doctrinis essent ædificaturi. Legat Concilia Sacra, Pontificum decreta, atque divina responsa, admirabiles inde exuget veritates, quas absque ullius detrimenti timore, Christianis amplectendas proclamabit. Ecclesia Catholica quæ Spiritus Sancti habet scrinia, in quibus omnes thesauri sunt sapientiæ & scientiæ ejus absconditi, cui etiam Christus sacrorum scriniorum clavem reliquit, hos docuit Patres. Nec id tantum, verum distentis uberibus suis incredibili tractavit amore. Quam indulgentiam Concionatoribus hujus nostri tam perturbati sæculi lubens concedet, modo ipsi suis primariis Pastoribus, Episcopis scilicet, ac Romano Pontifici Christi Vicario obsequentes se velint præstare. Nusquam est veritas Sacrarum Scripturarum nisi in Ecclesia Romana. Quicumque igitur veritatis cognoscendæ voto tenetur, qui etiam voluerit esse atque haberi fidelis mysteriorum Dei dispensator, quicumque tandem voluerit servum bonum & fidelem agere in domo Dei, dispensaturus Populo Christiano sacram Evangelii doctrinam, ab Ecclesia Romana mutuet verum ac sensum genuinum Scripturarum Sacrarum.

Non concionetur id quod sibi visum sit, nec pro suo arbitrato præsumat doctrinam verbi Crucis fidelibus impartiri. Non legat hæreticorum postillas, non amet eo-

rum perversas Scripturarum confusiones , sed petat ab Ecclesia id quod fuerit sibi concionandum , quæ abundè (non dubitet) pulcherrimas ac suavissimas proclamandas suppeditabit ipsi doctrinas. Moyses concionaturus filiis Israel , non eis proposuit quæ ipsi congruentia videbantur , sed religione summa obtemperavit Deo dicenti : *Ego ero in ore tuo , doceboque te quid loquaris.* Ezech. 2. refert Dominum ipsi dixisse : *Fili hominis sta super pedes tuos , & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi , & statuit me super pedes meos , & audiivi loquentem ad me , & dicentem : Fili hominis mitto ego te ad filios Israel , ad gentes apostatrices: ac tandem in fine capitis subjungit ipsi Deum dixisse : Aperi os tuum , & comede quæcumque ego do tibi. Et vidi , & ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber , & expandit illum coram me qui erat scriptus intus & foris.* Quod testimonium manifestius quam dici poterat , nobis manifestat , non licuisse unquam Prophetis pro suo arbitrato , quæ ipsis collibuissent vaticinari , sed id à Deo expectasse , atque accepisse. Isai. 6. cum in mandatis accepisset à Deo , quod clamaret , non priùs quamvis jussus , ausus fuit clamare , quam de rebus dicendis instrueretur. Nam ejus vaticinium commemorat , se Deo præcipienti respondisse : *Quid clamabo ? cui Deus inquit : Annuncia populo meo scelera eorum , & domui Jacob peccata eorum.* Non finxit Isaias dicenda : verum quid sibi proclamandum erat à Domino evidenter accepit.

Est etiam Christus , quem Matth. 10. cap. refert Apostolis dixisse , quando binos ac binos ante faciem suam in omnem civitatem , quo ipse erat venturus , eos mittendos decreverat , *Cum steteritis ante Reges , & Præsides , nolite cogitare , quomodo aut quid loquamini , dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Non permittit Apostolis facultatem excogitandi , quid ante tribunalia essent rogati responsuri , sed hoc ipsis Christus se suppeditaturum pollicetur : Non inquit fingite vestra placita & somnia vestra jactare. Sed quid , vel si vobis habenda fuerit concio sacra , fueritque dicendum coram regibus , aut præ-

si-

sidibus de mea morte vel de mea vita, vel si ad tribu-
 nalia producti fidei vestræ atque doctrinæ & religionis
 sit reddenda ratio, nolite vestra sola humana ratione ex-
 cogitare ea quæ sint vobis dicenda, *dabitur enim vobis*
in illa hora quid loquamini. Idcirco hic suis promittit dis-
 cipulis, se daturum atque inspiraturum ea quæ in sua cau-
 sa sint dicenda. Quia tunc temporis, cum essent in ipsa
 prima Ecclesiæ fundatione, quando discipuli nondum pla-
 nè exuerant ruditatem, & ignorantiam carnis, non illis
 Christus ita fidenter negotium fidei atque religionis com-
 mittit, quia sciebat eos non ita excultos, neque tam
 idoneos esse, qui de rebus maximis (tales sunt res nostræ
 fidei) coram sapientibus hujus sæculi dicere atque res-
 pondere possent. Ob id igitur eis vetat ne cogitent, sua
 sola humana ratione, quid rogati debeant respondere,
 eisque pollicetur se ipsis id daturum. Atque ubi totum
 triennium ipsi cohabitarunt, in suaque Schola versantes,
 ab ipso fuerunt instituti, ubi altissimi virtute ex alto eru-
 diti alium hominem, spiritualem scilicet induerunt, tunc
 scitè admodum ac disertè de negotio Christi dicere, pro-
 clamare atque disserere poterant. Quia Pater illorum il-
 lustraverat mentes: Filius docuerat intus in corde & foris
 voce: ac tandem Spiritus Sanctus ipsorum illabens cordi-
 bus, quæ pro illius temporis statu Ecclesiæ erant necessa-
 ria, eos docuerat.

Dereliquerunt Apostoli in Ecclesia cunctas illas doc-
 trinas Catholicasque veritates, ut secuturi Concionato-
 res intelligerent, quòd quemadmodum non licuit Pro-
 phetis neque Apostolis res sacras tractare, nisi Domino
 verbum suppeditanti ac verba præeunte, multò minùs
 ipsis nec modò id licere. Verùm non inde inferant Con-
 cionatores nostri temporis miracula esse expectanda, ut
 de doctrinis tractandis divinitùs admoneantur, & ut olim
 Prophetæ aut Apostoli, per Angelos aut aliis miraculo-
 sis & insuetis modis doctrinas doceantur sacras. Non opus
 est id expectare, sed Ecclesiam matrem accedere, eam
 consulere, atque ab ipsa sanas, puras, intemeratasque
 doctrinas petere, & expectare. Ipsa eas retinet, quas
 Chris-

Christus cum docuit , prædicavit , quas Apostoli ante quàm ulla esset Scriptura novi instrumenti , ipsi reservandas , in nostram utilitatem & usum tradiderunt. Dabit profectò pia mater charissimis filiis panem vitæ , verbum veritatis , veritates infallibiles , ac doctrinam inviolatam & incorruptam , quæ tamquam lucerna fulgentissima splendet in valle hujus mundi caliginosa , cui benefaciamus attendentes , ut docet Petrus. Dabit etiam germanas ac fluidas Scripturarum Sacrarum interpretationes , ipsasque tam perspicuas , & claras , ut nemini nisi turbidam habeat mentem dubitationis , aut difficultatis causam aut locum relinquat.

Ob id consulimus Concionatori quòd Romanam in suis doctrinis sequatur Ecclesiam. Quia cum Spiritus Sanctus nusquam sit , nisi in hac Ecclesia , ita neminem futurum scimus qui ejus accipiat virtutem , nisi in ejus permaneat obedientia , religione atque pietate. Testatur hoc satis expressè Scriptura illa Ecclesiastici 15. ubi asserit Jesus Sirach , quòd Dominus in medio Ecclesiæ , *aperiet os timentis se , & adimplebit illud spiritu sapientiæ , & intellectus , & stola gloriæ induet illum.* Diabolus aperit ora eorum qui sunt & loquuntur extra Ecclesiam : Calvini scilicet ac Brentii , Illyrici & aliarum bestiarum quæ devastant , ac depopulantur vineam Domini. Si igitur vult Concionator quòd Dominus ejus dissolvat os , excitet ac dirigat linguam , ipsamque impleat spiritu sapientiæ & intellectus , doceat in medio Catholicæ Ecclesiæ Romanæ , non alibi. David dicebat Psalm. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Sed ubi ? *In medio Ecclesiæ laudabo te.* *Apud te laus mea , sed in Ecclesia magna.* Idem divinus vates Psalm. 34. etiam dixit : *Constebor tibi Domine in Ecclesia magna , in populo gravi laudabo te.* Idem rerum Sacrarum Propheta eximius cum Christianos suï sæculi , ad laudes Dei cantandas exhortaretur , dixit Psalm. 67. *Prevenērunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvenularum & Tympanistiarum.* *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* Multò apertius & efficacius instat David Psalm. 106. apud Christianos pios , quibus
Dei

Dei laudes sunt cordi, ubi debeant Deum laudare, quibus dicit: *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra*, id est, in congregatione *seniorum laudent eum*. Idem etiam Spiritus Sancti electissimum organum, cum Psalm. 149. Deo ob peccatorum remissionem dignas persolveret gratias, reliquosque Judæos ad eandem gratiarum actionem invitaret, dixit: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum.*

Dignissimum est observatione, quod David nunquam populum ad laudes divinas provocet, quin mox subjiciat ubi sit laudandus, in Ecclesia scilicet. Ut planè innuat nullas laudes quamcumvis ferventes, illi esse gratas, præter illas, quas sui redempti in hac magna & vetustissima Romanorum Ecclesia ipsi persolvunt. Vult laudari, sed *in magna Ecclesia*. Ecclesia magna est Romanorum Ecclesia, quia ubique terrarum variis temporibus fuit stabilita. Est etiam senex, vetusta, & antiqua, quia mille & quingenti anni sunt elapsi quod fuit à Christo erecta, & è Cælis in terram allata, & ministerio Apostolorum fabricata. Quicumque igitur sacras doctrinas, Apostolicas, & antiquas amat, sive ut conciones parat, vel lectiones instituat, aut aliud Ecclesiæ necessarium ministerium exercent, hanc Ecclesiam accedat, quia teste ipso Spiritu Sancto, per David, Psalm. 88. *Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum*: sancti, id est, sanctificati per baptismum sunt omnes quotquot sunt in Ecclesia Romana, & ipsi soli habent veritatem, scilicet, ejus Evangelium. Non habent Spiritum Sanctum, sed diabolicum Genevenses, Wiertembergenses, & alii hæretici qui sunt in Europa, quia sunt extra veram Christi Ecclesiam Romanam, in qua sola, juxta diffinitionem Jesus Sirach. cap. 21. *os prudentis queritur*. Cum igitur Spiritus Sanctus in hac resideat Ecclesia, & Scripturarum veritas per ipsum Spiritum Sanctum ipsi Ecclesiæ suggeratur, jure optimo ad ipsam Ecclesiam, & ejus spiritum remittimus Concionatorem, qui orationibus impetret sapientiam, quam sibi populoque quem erudiendum in lege Domini suscepit, per-

idu
sen-

sense. it opportunam. Est consilium sapientissimum Jacobi Apostoli dicentis: *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Quòd verò hic Jacobus de sapientia dicit, non solum de illa tantum virtute venit intelligendum, verùm de cunctis aliis virtutibus vitæ æternæ comparandæ, aut sacris functionibus dignè laudabiliter atque strenuè obeundis, necessariis, est intelligendum. Ita ut tantumdem valeat illa vox, ac si dixisset Jacobus: *Si quis indiget sapientia, prudentia, scientia, fide, spe, charitate, humilitate, aut castitate, vel aliqua alia virtute, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, apud quem sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ divinæ. Quia omne datum optimum, & omne donum bonum & perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

CAP. VIII.

QUARTA CAUSA QUARE SIT NECES-
saria Concionatori Spiritus Sancti gratia.

EXtant quamplurima testimonia Scripturarum Sacrarum, quæ nobis evidenter testantur Ecclesiastem indigere variis donis, ut strenuè suo satisfaciatur officio, ut verbum crucis ita proclamet, quod Christi eum verum & fidum esse præconem, vox, & sacramenta quæ annunciaverit, manifestent. Hæc omnia quæ in ipso requiruntur, nisi habeat, consequetur faciliè, si quando illi dicendum fuerit, petat instanter ut Spiritus Sanctus ejus os aperiat, & apertum impleat, & instruat. David Prophetarum eximius, numquàm ausus est de rebus sacris quidquam tractare, nisi prævia illa petitione & oratione Psalm. illius quinquagesimi ubi dixit: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Innuens os suum non alia ratione laudes Dei annunciaturum, nisi Domino priùs ipsum aperiente. Verum ne quis existimet, ubi

ubi Dominus ora laxaverit, nihil amplius ab ipso fore petendum, nec sperandum, idem etiam spiritus per David nobis manifestat, quid ultra sit ab ipso nobis ex sua promissione ubi os aperuerit, expectandum. Psalm. 80. ait: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Quasi dicat, ubi ego gratiam præstitero qua possis os aperire, liberum habes aperiendi arbitrium, sed aperi, & quod tibi deesse videtur, adjiciam: implebo scilicet illud, id est, dabo notitiam veram & sanam rerum ad populum dicendarum: dabo veram scientiam cælestem, atque divinam, non humanam philosophicam atque terrestrem. Psalm. 31. Eandem amplissimam promissionem peccatoribus pro hac gratia impetranda orantibus factam esse deprehendimus: *Intellectum*, inquit Spiritus Sanctus David, *tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris.* Perinde ac si dixisset: Ego dabo tibi consilium, ac consulam id, quod tibi utile sit, & ad bene beateque vivendum & informandum populum necessarium. Auditis his promissionibus divinis, & quod ea gratia Spiritus Sancti ipsi David, & omnibus Catholicis Concionatoribus necessaria esset, petebat Psalm. 118. instanter à Deo non tantum apertionem oris, verum revelationem oculorum, & intellectus instructionem: *Revela oculos meos*, inquit, *& considerabo mirabilia de lege tua.* Quasi dicat: velamen detrahe oculis meis, ut inspiciam & contempler admirabilem sapientiam & doctrinam, quæ recondita est in lege tua, quod nisi abstuleris, nihil prorsus rerum sacrarum videre potero: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me, da mihi intellectum ut discam mandata. Benedictus es Domine, doce me justificationes tuas:* hic vocat legem & cuncta Dei mandata, justificationes, quia suos observatores justificant. Incredibili anxietate postulat David in hoc Psalm. & in aliis quamplurimis, sibi claustrum oris amoveri ac reserari. Dari etiam ea quæ in Dei laudem & proximorum utilitatem sint dicenda: oculos sibi repurgari, ut divinas admirabilesque videat doctrinas: mentem erudiri & informari, ut ea quæ loquutus fuerit, quæ viderit, quæ audiverit, ita percipiat & intelligat, ut in Christianorum usum &

commodum adaptare possit ac sciat: ut divino denique prophéticoque spiritu illustratus in domo Domini sacrum ageret Concionatorem.

Hinc doctus Paulus, & ex aliis Sacris Legis & Prophetarum Scripturis informatus, divinitusque eruditus, cum hac de re Corinthios informaret 1. Epist. cap. 12. dixit: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto: & idem Apostolus ad Rom. scribens ait: Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba (Pater)* Testantur hæc Scripturæ manifestè neminem quantumvis summo sit ingenio præditus, naturæque maxima felicitate donatus, posse proferre vocem hanc *Dominus Jesus*, cum spiritu, neque clamare *Abba pater*, nisi in Spiritu Sancto, id est, adjutus Spiritu Sancti divina gratia. Ut hanc igitur consequatur Concionator, necesse est Spiritum Sanctum propitium habeat: qui ipsum sua divina Schola dignum faciat discipulum; talem, qui dona quæ in ipsum contulerit, in animarum usum convertat. Siquidem in earum commodum dat teste Paulo. 1. ad Corint. 9. qui ait: *Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem.*

Diligenter advertat Concionator, quod sicut olim Joseph in Ægypto gratia fuit data, ipsaque tanta, ut teste David Psalm. 104. *Eloquium Domini eum inflammaverit, & exploraverit, adeo, ut propter suam singularem sapientiam, qua eximie decoratum experientia ipsum esse manifestavit, Rex Pharaon ipsum Dominum domus suæ constituerit, & Principem omnis possessionis suæ, idque non ut tantis abuteretur beneficiis, verum ut crudiret Principes ejus, sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret,* ita Ecclesiastes Catholicus nobilissimis Dei donis sciat se auctum, nempe scientia, sapientia, auctoritate, illuminatione, & aliis innumeris, quibus se abundare norunt aliqui virtutibus (utinam humiliter noscant) non ut inde propriam venantes gloriam, Christo suam eripiant, (quod faciunt hæretici nostri temporis Calvinus & Brentius & alii infernales Concionatores) verum ut senes, & Principes qui sunt in Ecclesia Catholica, in sanis ac veris

ins-

Instruant doctrinas: ut omnes tandem pios & Catholiceos cujuscumque sint conditionis aut sexus, ita præmuniant contra pestilentes doctrinas hæreticorum, ut non minus eas abjiciant, & explodant, quam venenata à diabolis in ipsorum animas projecta spicula. Multò crudellus atque acerbior horum hæreticorum Brentii & Calvinii falsa atque vitiosæ doctrinæ feriunt animas æternum miserabiliter perituras, quam acutissima quæque alia tela vel ab inimicissimis nobis vibrata: *Beatus*, inquit David, *homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Porro, doctus à Deo est beatus, maledictus erit is quem diabolus erudierit. Erudivit autem Brentium, Calvinum, & alias furias infernales, quas fovent ac nutriunt Principes quidam in Germania & Gallia; & alia regna, ac civitates, ut tandem ipsis perpetuum, si non temporalium rerum, certè animarum pariant interitum. Possumus nos Catholici istis Lutheranis vel Calvinistis magno quidem jure dicere, id quod olim Augustinus de Circumcellionibus dicebat, eos scilicet quia falsa prædicant ac docent sanguinis spiritualis esse effusores. Nam ipsi, ut inquit Augustin. verè sanguinem non solum corporaliter per furias Circumcellionum (nos dicimus Lutheranorum & Calvinistarum) sed etiam spiritualiter fundunt, qui orbem terrarum si possent rebaptizare conantur. Aut si solus ille sanguinem fundit; qui carnem mortalem vel vulnerat, vel vulneratam perimit: ille autem non fundit qui seductas animas sacrilegi schismatis occidit, suis Concionibus in damnationem perducunt æternam, non in vitam?

Nec satis est omnia ista quæ superius diximus, Concionatorem jam esse consequutum, debet etiam prudens meminisse illius antiquissimæ petitionis, quam inter ardentissimas suas preces sapientissima illa femina Hester à Deo obtinere contendeat. De qua Spiritus Sanctus hoc reddit testimonium, quod dum lachrymabunda & devotissima oraret, dixit: *Da mihi fiduciam Domine Rex Deorum, & universæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, &c.* Vocat hic Deos & Potestates, Judices

atque Principes, quorum Deorum, id est, iudicium Deus Rex est, per quem Reges regnant, & Principes discernunt justitiam: leonem vero vocat ipsum Regem, cujus indignatio eo furoris venerat, ut leo videretur. Ita Concionator habiturus concionem, sciat se non posse compositum, gratiosum, nec ornatum habere sermonem, nisi Dominus dederit ornamentum, gratiam, & ordinem. Quod si Regina Hester ex se habere potuisset, numquam quando tanta premebatur angustia a Deo petivisset. Instituta fuit illa petitio tunc, ut nobis in presentiarum descendendum exemplum vividum esset. Ut inde informatus Ecclesiastes ante concionem dicat: ,, Domine qui omnium iudicium, Regum, & Principum es Rex, da, ,, te rogo, oro, ac supplico sermonem compositum, gratum & acceptabilem in ore meo, ut verbum filii tui, ,, suæque crucis cum gratia & fructu in presentia hujus ,, Christiani vel impii conventus possim hodie proclamare. ,, Est hæc gratia sermonis usque adeo Concionatoribus necessaria, ut bona pars fructus ex concione speranda ab illa videatur dependere. Quod sentiens Paulus, dum Colossenses ad studium virtutis parænesi invitaret, ipsis aperiens qua ratione in suis sanctis studiis, majores progressus facere possent, dixit: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo vos oporteat unicuique respondere.* Est hebraismus qui latine tantundem valet, ac si dixisset: Sermo vester eam habeat gratiam, quæ utilitatem auditoribus adferat, quod facile fiet, si sale discretionis & acrimoniæ conditus fuerit. Hæc & alia quamplurima abundè confert Spiritus Sanctus, modo humiliter & religiosè ipsi supplicem semper te offeras. Hujus munificentia, certos nos facit Augustinus de fide ad Petrum cap. 4. ubi ait: Spiritus Sanctus fidelibus se deprecantibus copiosum subministrat adjutorium, sicte Propheta dicit: *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, voluntatem timentium se faciet, & preces eorum exaudiet, & salvos faciet eos.*

CAP. IX.

QUINTO GRATIA SPIRITUS SANCTI
 in Concionibus requiritur, ut intus audientium corda
 aperiat, ac molliat & in obedientiam & amo-
 rem legis Dei inclinet.

Augustinus libro de Fide ad Petrum cap. 3. ita dicit: Bonæ quoque voluntatis & cogitationis initium non homini ex seipso nasci, sed divinitus & præparari & tribui. In eo Deus evidenter ostendit, quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum ejus, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorem sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset ut humana natura, postquam à Deo aversa, bonitatem perdidit voluntatis, ex seipsa rursus eam habere potuisset, multò possibilis hoc natura haberet Angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hac esset prædita facultate. Prosper adversus Cassianum ita inquit loquens de Pelagianis: Illi, ait, in omnibus justis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia: nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Et paulò inferius subjicit: In quo superfluum, imò impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus, locum facere, ut non ex toto verum sit, quod ait Dominus: *Nemo venit ad me nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum.* Si cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio, aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui eum vocatum ad Filium trahit, resistantem invitumque compellit, & ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistantis inclinatur, ut cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, ubi præmebatur, ibi discat, ubi ignorat. Est multus Augustinus in asserenda hac difficultate hominis, &

ignorantia, vel cæcitate probanda, ad gratiam fidei inveniendam, quærendam, aut sequendam, vel amplectendam. Quod etiam facit Prosper contra Collatorem Cassianum, Fulgentius in libris ad Monimum, & alibi. Omnes ii Patres sequentes decreta concilii Arausicani & Milevitani, & apertas Scripturarum Sacrarum sententias, inducti sunt in hanc mentem, ut docuerint & affirmaverint, hominem per se solum sola naturæ facultate fidem habere non posse.

Loca primaria Scripturæ Sacræ quæ hanc diffinitionem statuunt, sunt illa. Joannis, qui cap. 15. ait quod Christus instruens suos Discipulos dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Idem etiam Joan. cap. 6. testatur Christum dixisse eisdem: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* & cap. 14. *Nemo (inquit Christus) venit ad Patrem nisi per me.* Lucas refert Christum dixisse: *Nemo scit quis sit filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi filius, & cui voluerit filius revelare.* Paulus fidelissimus interpretres sui magistri, ab ipso hac de re in Cælis plenissimè edoctus, dixit 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Idem etiam 1. Corint. 12. dixit: *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto.* Et 1. Corint. 4. iterum inquit: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* David planè divino illustratus Spiritu, hac de re cum suam auditoribus sui temporis manifestaret mentem, diceretque quid ipse sentiret circa hanc materiam, & sentiendum judicaret, dixit: *In Deo faciemus virtutem,* sed non in nobis solis. Psalm. 59. Iterum Psalm. 67. inquit, *Pluviam voluntariam segregabis Domine, tu verò perfecisti eam,* & Psalm. 77. Dum quid sentiret de sola virtute humana, id est, de viribus naturæ humanæ sive gratia, dixit, homo est *spiritus vadens, & non rediens,* perinde ac si dixisset, homo per se solus ipse cadere potest à gratia, non tamen per se potest ad ipsam redire. Ita locos hos intelligendos Augustinus docet, ut statuatur necessariam esse gratiam, intus operantem, ut auditores verbis credere doctrinis sacris possint.

sint. Adeò, ut nisi Christus, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, intus illustret corda, aperiatque ostium verbo, ut ad ipsum informandum possit penetrare, nihil efficiatur prorsus.

Sunt corda hominum in voluntate Dei, magis quam in ipsa hominum voluntate. Quod eleganter satis convincit Augustinus, lib. de Correctione & gratia, cap. 14. ubi sic ait: Cum autem homines per correctionem in viam justitiæ revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris atque arbusculis operante dat incrementum Deus? cui volenti salvum facere, nullum hominum resistet arbitrium. Sic enim velle vel nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam potestatem non impediatur, nec superet potestatem. Et in fine ejusdem capituli, ubi eleganter satis variis Scripturarum testimoniis convicerit, corda hominum in Dei esse potestate, tandem concludens ait: Et ambulabat David proficiens, & magnificabatur, & Dominus Omnipotens erat cum illo. Ac per hoc Dominus Omnipotens qui erat cum illo adduxit istos (Principes scilicet Israel & Juda) ut eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit ut salubris sit correctio, & fiat in correcti corde correctio ut caelesti constituatur in Regno? Possem & alia quam plurima proferre testimonia Augustini, & aliorum Sacrorum Doctorum quibus manifestè convincitur neminem adhibiturum Concionatori fidem, nisi cujus Dominus cor aperuerit: neminemque venturum ad Patrem, nisi is quem Christus traxerit: neminem habiturum cor carnum & suave, nisi is cui ipse dederit, ac tandem neminem futurum docilem, nisi is, quem unctio docuerit: ac neminem crediturum, nisi is quem Christus illuminaverit.

Didicit Augustinus hanc sententiam, tum ex Christi

doctrinis, tum etiam ex Apostolicis exemplis. Actor. 16. legimus factum quod nostram assertionem mirifice probat. Philippis proclamante verbum Dei Paulo, inquit Lucas, neminem credidisse, præter quamdam mulierem nomine Lydiam purpurariam civitatis Thyathirenorum colentem Deum, cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. Porrò numquam mulier illa credidisset, nisi Dominus intus illam docuisset, ac tenebrarum & errorum claustris reseratis, ostium veritati ingredienti cor aperiret ac præpararet. Quod cum nulla sola humana virtute fieri possit, nisi divina; necessaria est illa oratio, quam populus simul cum Concionatore fundit ad Christum. Paulus hanc orationem pro ipso fieri ab illis petebat Christianis, qui erant Colosiis, quibus cum ad ipsos scriberet dixit, cap. 4. *Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod vincetus sum) ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.* Est methaphora, cujus pulchritudinem & elegantiam vel Cicero, aut etiam admiraretur Demosthenes, Augustin. lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 20. venuste satis præsentem illustrat locum. Quomodo aperietur inquit, ostium verbi, nisi cum sensus aperitur audientis ut credat, & initio fidei facto, ea quæ ad edificandam salubrem doctrinam prædicantur & disputantur, admittat, ne per infidelitatem corde clauso, ea quæ dicuntur, improbet ac repellat? Unde & ad Corinth. ait: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten, ostium enim mihi apertum est, magnum & evidens, & adversarii multi.* Quid aliud inquit Sanctus hic Doctor, potest intelligi, nisi quod prædicato ibi per eum primitus Evangelio, credidisse multos ejus fidei adversarios, secundum illud Domini: *Nemo ad me venit, nisi cui datum fuerit à Patre meo.* Joan. 6. Et, *Vobis datum est nosse mysterium Regni Celorum, illis autem non est datum.* Ostium ergo apertum est in eis quibus datum est. Aliis verò non credentibus ostium non est apertum. Frequenter usus est Paulus hac methaphora in prosecutione hujus negotii, scribens ad Corinth.

rint. 2. Epist. cap. 2. inquit : *Cum venissem autem Troadem in Evangelio Christi & ostium mihi apertum esset in Domino*, id est, cum multis auditoribus Dei singulari benevolentia ablatum esset cor lapideum, & datum esset cor carneum, id est, cor suave, docile, atque divinis verbis suscipiendis & admittendis idoneum, unde conversi sunt ad fidem, *non tamen habui requiem in spiritu meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum.*

Omnia loca hic congesta abundè satis testari arbitror, piis ac doctis viris necessariam esse Spiritus Sancti gratiam, tum Concionatori, tum populo audituro. Illi, ut cælestis lucis fulgore illuminatus à Christo mente & corde sincere verbum divinum crucis valeat proclamare : his verò, ut ejusdem gratiæ superna virtute operante, saxea cordis durities in eam convertatur suavitate, qua ultrò ac lubenter, verbo Christi in suis cordibus locum parent ac præstent. Joan. in sua Apocal. cap. 3. declarat corda hominum sua habere ostia, ad quæ Christus stat pulsans, atque expectans si quisquam sit, qui ipsi aperiat, hospitioque ipsum excipiat, idque non tantum ut cœnatus sit abiturus, verum ut illic amicè & honorificè exceptus, quod superest quiescat noctis. Ostium cordis humani in infidelibus est ipsa infidelitas : in Christianis est obstinatio vitiorum : in quibusdam, voluptas : in aliis, cupiditas, & in unoquoque illud vitium est ostium, propter quod Christus excluditur, & diabolus admittitur. Dixerim facilius ostium cordis esse voluntatem humanam sua passione affectam. Hanc pulsat Dominus, ut ipsi cor aperientes intret ad abditiore nostri cordis, atque prædicante homine ad carnales aures, ipse intus, sua divina admirandaque potentia, in corde verborum suorum sanctificantem virtutem insculpat, atque imprimat, qua adjuti, ita ad ipsum conversionem in toto corde, non in medio meditemur, atque actiones nostras in posterum instituere statuamus, ut ii qui sunt in Ecclesia Catholica narrare possint, quod Dominus aperuerit nobis ostium resipiscentiæ à peccatis, sicut olim legimus in Actis Apostol. cap. 14. Paul. & Barnabam retulisse fratribus,

qui erant Antiochiæ quod Dominus aperuisset gentibus ostium fidei.

CAP. X.

QUARTO LOCO DIXIMUS NECESSARIAM esse Concionatori vocationem ad illam sacram functionem obeundam.

Quod nemini quantumvis docto & erudito, vel sancto liceat, sacram verbi Dei provinciam declamandi privata sua tantum auctoritate sibi usurpare, testatur ac definit Paulus ad Hebræos 5. cujus hac de re hæc est sententia: *Nec quisquam, inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Diffinitio tam expressa & clara, nullam patitur controversiam, quam prorsus mox non dirimat, nec contradictionem, quam etiam non convincat. Is qui verbi Dei functionem usurpat, necesse est ipsum divinitus ad hoc vocari, tamquam Aaron. Qui ut historia 1. Paralipomenon, cap. 23. testatur, divino aliquo signo ad rem sacrosanctam peragendam ab aliis fuit discretus & vocatus. Sic enim habet Scriptura: *Filii Amram, Aaron & Moyses. Separatusque est Aaron, ut ministraret in Sancto Sanctorum, ipse & filii ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in sempiternum.* Primasius cum locum Pauli prius inductum commentaretur, dixit: Aaron vocatus est signo florentis virgæ, sive signo incendii illorum qui ejus pontificatui invidentes, dignitatem Sacerdotii affectando, invadere moliebantur. His duobus signis ostensis demonstratus est Sacerdos à Deo electus.

Nec legimus ullum Patriarcharum aut Prophetarum administrationem verbi in populo umquam attentasse Deo inconsulto, sed ejus in ea causa prius expectata & perspecta voluntate. Adeò, ut ipsi jubenti frequenter rebelles extiterint, vel si id minùs, saltem severo imperio ad illam

provinciam obeundam quosdam Dominus impulerit. Jonas Niniven ire jussus, Dei annunciaturus ultimum in illam civitatem statutum decretum, aliò rebellis deflexit viam. Moyses jussus Pharaonem accedere, acturus cum ipso de liberandis ac manumittendis Israelitis, respondit: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Egypto?* tamen Dominus districtè imperans, tandem paratum se offert, quæ in mandatis acceperat ultro ad Pharaonem se delaturum. Sed priusquam id tentet, Dominus ex ardenti rubo ipsi loquitur, pleneque instruit, à quo etiam suæ vocationis signa accipit. Isaias vidit visionem ut ipse refert, cap. 5. ubi etiam commemorat se ita à Deo missum fuisse, ut illi dixerit Dominus: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere.* Item Jeremias ut ipse testatur: *Verbum Domini factum est ad me, dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Reg. 3. legimus Samuelem à Deo singulariter missum & vocatum, ut propheticum obiret munus atque officium Sacerdotale in suo populo. Ita Scriptura uniuscujusque prophetiæ testatur suum auctorem non temerè in illam prophetandi irruisse provinciam, sed Deo vocante atque jubente. Quod facilè diligens ac doctus Concionator, si eorum percurrat scripta, verum esse comperiet.

De Joanne Baptista qui Prophetarum novissimus & Apostolorum extitit primus, Lucas refert, quod quamvis in utero matris sanctificatus, & ut Verbi incarnati præconem ageret electus, non tamen ausus fuit concionem ullam auspici, nisi prius Domino jubente, quin in solitudine vasta insumptis aliquot vitæ annis, expectavit divinum mandatum, quando illa verbi proclamatio esset illi exordienda: *Anno quinto decimo, inquit Lucas, Imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilæa Herode, Philippa autem fratre ejus Tetrarcha Iturea & Traconitidis regionis, Lysania Abilina Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caypha,*
fac-

factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto. Christus ipse non quasi usurpans illam verbi proclamandi sacram functionem in mundum descendit, verum teste Paulo ad Galat. 4: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, eam est auspicatus. Unde probat idem Paulus ad Hebraeos 5. quod sicuti Deo mittente Christus mundo æterni sui Patris voluntatem (quam facturus venerat) declaravit, sic inquit Paulus, *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Apostoli quamvis vivente Christo audiverant se electos & vocatos, ut irent in mundum, & fructum adferrent, non tamen ausi sunt vel minimam habere concionem priusquam hac de re præceptum Christi haberent, qui ut Matthæi refert cap. 28. ipsis dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Marcus item ultimo testatur Christum suis Apostolis dixisse: *Euntes in mundum universum predicare Evangelium omni creature.*

Ex his quas adduximus Scripturis constat, hanc sacram verbi administrandi provinciam nemini umquam licitum fuisse usurpare, nisi divino intercedente mandato. Sed cum ratio illa vocandi miraculosa, qualis fuit illa Prophetarum & Apostolorum, qui ab ipso Deo immediatè vel per Angelum vocabantur, jam sit abolita, Christusque homo factus, hominibus hanc dederit potestatem, necesse est ut eam etiã vocationem à Deo factam existimemus, quæ per homines fit, quando homines in ea sunt constituti dignitate, cujus virtute reliquos ad sacrum concionandi munus (si idonei inventi fuerint) vocare possunt. Adeo ut quemadmodum vocationem illam, quæ immediatè fit à Deo, ratam omnique religione colendam observamus, ita etiã eam quæ fit per homines, pari reverentia suscipiamus, utpote quæ divina sit, & mandato divino facta. Nam quamvis per homines fiat, fit tamen per eos, qui divina auctoritate ornati, id facere possunt. Ita vocabantur ad concionandum & olim promovebantur
in

in veteri lege, illi quos Scriptura frequenter vocat filios Prophetarum, cum essent discipuli, qui à Prophetis instituebantur, ut & ipsi idonei essent ad docendum. Ita etiam & ab Apostolis instituti sunt Episcopi, & Pastores, & Doctores Ecclesiarum. Episcopi verò alios quos illis muneribus obeundis idoneos judicabant, vocabant, tum ad dispensationem verbi, tum etiam ad alias Sacras Ecclesiæ functiones administrandas. Legimus Paulum dum Thimotheum informaret, ad ipsum scripsisse: *Manus cito nemini imposueris.* 1. Timoth. 5. Quæ sententia consulto idiomate Græco tantundem valet ac si dixisset: Neminem ad sacros promoveas ordines, nisi eum cujus vita probè sit tibi explorata, & fides atque sufficientia expectata. Eodem spectat quod ad eundem scribens quarto capite. 1. Epistolæ dixit: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*, id est, non videaris contemptor ejus gratiæ quam ad instituendam Ecclesiam omneque religionis obsequium ipsi præstandum accepisti.

Græcus textus loco illius vocis, *gratia*, habet *charisma*, quæ vox significat Latinè donum, & interpretantur Græca Scholia, auctoritatem docendi. Dicit datam illi fuisse gratiam illam, sive donum aut charisma per prophetiam, id est, quando spiritu prophetiæ admonitus ipsum Episcopum creavit Paulus. Ejusdem est propositi, id quod petit ab eodem Timothæo in primo illo capite secundæ suæ Epistolæ, in quo dicit *propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, id est, te rogo & exhortor, ut sis memor Ecclesiæ viros excitare, qui instituendi Christianos in ipsa provinciam dignè suscipiant, idque per eandem Spiritus Sancti gratiam, quam tu ad impositionem manuum mearum accepisti. Hæc omnia Scripturæ Sacræ testimonia, & alia quæ passim in ipsis sacris inveniuntur libris inspersa, testantur Christum divinam illam potestatem eligendi atque vocandi ministros, qui Ecclesiæ, tum in seminando verbo, tum in aliis ministeriis ipsi præstandis, inserviant, Apostolis & eorum successoribus qui-

quibus in finem usque sæculi est adfuturus, concessisse. Unde colligimus divinæ voluntatis esse impios audacissimosque temeratores, qui illis Episcopis qui Apostolorum sedes, vetustissima & legitima possessione occupant, inconsultis & invitis, docere, aut aliquam aliam sacram functionem in Ecclesia administrare præsumunt.

Secundò docemur non alios, quam eos qui Apostolis succedunt, quibus Christus hanc dedit potestatem per Prophetiam, id est, per manifestationem Spiritus Sancti, posse ad verbi Dei sacram functionem obeundam aliquos vocare nec promovere. Temeratores sunt profectò voluntatis Christi, & oppressores expressi sui verbi Brentius & Calvinus, & alii eorum suffraganei, qui contra voluntatem Dei legitimis Episcopis Apostolorumque veris successoribus tyrannide magna suis sedibus exturbatis, in alienas messes, crudeles ac depopulatrices suas immittunt falces. Impia est profectò audacia populorum & Principum, præsertim Principis Wittembergensis, & civitatis Genevensis, qui sine Dei expressa vocatione, imò contra ejus voluntatem, blasphemias illas voces Brentii & Calvini & aliorum dæmonum audiunt, qui suis pestilentibus sibilis, & verborum fascinis, quosdam demerant, alios excæcant, quam plurimosque in perniciosissimum trahunt interitum, non tantùm corporum verumetiam animarum. Nescio sanè quid ipsis in mentem venerit, ut homines impios Dei gloriam usurpantes, pro diis colant, & eorum dictis majorem præstent fidem, quam ipsi expresso Dei verbo, & Ecclesiæ auctoritati. Cuperem Principem Wittembergensem rogare, quando ipsum accessit Brentius, quæ attulit signa suæ vocationis? Unde Genevenses tam validè sibi habent persuasum Calvinum esse Angelum Dei, missum ab Spiritu Sancto? Quis illos magnos duos excitavit Prophetas? Quis spiritus illos inflavit? Certè mihi fides est indubitata, ipsos à Satana esse vocatos, ejus spiritu instigatos, ab ipsoque contra Christum missos. Nec molestè debent ferre ipsi, nec eorum admiratores quod eos eorumque spiritus & doctrinas à diabolo originem trahere dicamus, cum salva
cons-

conscientia aliud nec possumus, nec debeamus facere Catholicum, cum verbum Dei non tantum hoc nobis permittat, verum ut ita cum illis agamus, qui explicato vexillo militem qui diabolo contra Christum inserviat, colligunt, precipit. Verum cum hac causa peculiarem atque exactiorem postulet processum, suo tempore Deo dante, tractandam relinquimus.

Nunc vero ut negotio primitus instituto respondeamus, dicimus, tunc veram legitimamque vocationem ac vere divinam esse, cum de auctoritate Ecclesiae, aut eorum quibus Christus, vel ejus Sponsa Ecclesia committit judicium, ministerium proclamandi verbi Dei alicui commendatur. Constare igitur apud omnes perspicue arbitror, ex his quae diximus, quae sint requisita Catholico Concionatori, nempe, doctrinam, morum probitatem, spiritum seu potentiam in dicendo, & legitimam vocationem. Primum ut feliciter institutus Concionator in doctrina legis, & Evangelii, & divinarum traditionum, teneat certam formam Christianae doctrinae, ex Scripturis Sacris, & divinis Ecclesiae traditionibus desumptam, quam pure, & perspicue, & proprie tradere possit. Quae etiam fidem & prudentiam in suo ministerio dispensando adhibeat, ac norit juxta praecipitum Pauli, recte secare doctrinam pietatis, ut & in tradenda doctrina circumspicere ostendat discrimina & fines inter Evangelium & cangelium, sciatque erudite confirmare articulos & capita Doctrinae Catholicae, refellere falsas opiniones, dogmataque quae habent aliquid impuri collata ad verbum Dei & judicium Ecclesiae, eliminare, atque populis amplectenda proponere. Item ut in redarguendis conscientis adhibeat prudentiam & curam, ut rudes informentur, ut doceat & evolvat ex erroribus ambigentes & perplexos, confirmet imbecilliores, ut corrigat & revocet errantes, ut peccantes arguat & castiget, ut perterrefactos & affictos consoletur.

Secundo est necessaria vitae inculpatae puritas, ut fidei atque bonorum operum exemplo populum ad eorum quae praedicaverit, invitet, atque accendat amorem. Quod

Pau-

Paulus Timothæo præcipiebat , cum dixit : *Esto typus fidelium* , & cat. Et Petrus , *fiatis typi seu forma gregi.*

Tertiò est necessarius spiritus , ut verba non sint mortua , sed viva atque vivificantia , nec sit littera occidens , sed spiritus vivificans , ut etiam cum fiducia proclametur verbum Dei.

Quartò est necessaria vocatio , ne si hac sit destitutus Concionator , quæ una admirabilem conciliat auctoritatem Concionatori , auditores facilè ipsum contemnant , ut qui non sit missus , sed ipse veniat , & qui non animas , sed se suamque privatam utilitatem quærat & gloriàm. Gravissimè comminatur Dominus his falsis Prophetis sese ingerentibus , quibus per Jeremiam cap. 23. dixit : *Non revertetur furor Domini , usque dum faciat , & usque dum compleat cogitationem cordis sui. In novissimis diebus intelligetis consilium ejus. Non mittebam Prophetas , & ipsi currebant , non loquebar ad eos , & ipsi prophetabant.* Acerbissima est hæc comminatio vibrata in illos qui falsis doctrinis sæviunt in animas , quas Christus suo pretioso sanguine redemit. Utinam hunc locum pro sua dignitate discuterent Brentius , Calvinus , & reliqui omnes pædagogistæ , falsi Prophætæ , quos Germania alioqui nobilissima regio , magno suo malo fovet , ac nutrit.

Qui verò missus à Deo cum scientia , spiritu , atque morum probitate verbum crucis proclamaverit , referet profecto Judæum illum *Appollo nomine , qui erat Alexandrinus genere , vir eloquens , & potens in Scripturis* , qui cum veniret Ephesum , essetque doctus viam Domini , *fervens spiritu loquebatur , & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu , sciens tantum baptismum Joannis. Act. 18.* Hæc omnia quæ diximus , visus est Paulus perstrinxisse in secunda Epistola ad Timothæum capite primo , ubi eundem Timothæum informans dixit : *Formam habe sanorum verborum , quæ à me audisti in fide , & in dilectione in Christo Jesu , bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum , qui habitat in nobis.* Sanos sermones , doctrinam , fidem , charitatem , vitæ puritatem , & Spiritus Sancti potentiam in dicen-

endo, seu donum docendi, & quidquid tandem ad informationem doctrinæ de fide, dilectione pertinet, depositum vocat, quæ omnia Paulus apud Timothæum pretiosissimum thesaurum reservanda in deposito reliquerat. Obiter placet hoc annotare, ex hoc Scripturæ loco convinci ex sententia & traditione Pauli, non apud promiscuum vulgus, sed apud Episcopos mysteria religionis depositata fuisse. Plebi id tantum sciendum est quod ad mores formandos & vitam pertinet. Quæ Theologia est, Nazianceni & reliquorum veterum.

DECLARATIO MATERIÆ.

CAP. XI.

QUÆ DOCTRINA SIT TRADENDA

& tractanda in Ecclesia populo Christiano.

CHristus, cum ad suæ mortis sacramenta in mundum universum divulganda mitteret Apostolos, non reliquit ipsis excogitanda quæ erant concionaturi. Verùm paulò antequam Cælos conscenderet, ipsis quæ ad omnes creaturas essent delaturi, manifestavit, quando ut inquit Mathæus ultimo, suis dixit discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Hæc primaria sollicitudo animo Concionatoris insideat, ut populis mandatorum Dei corde & animo observantiam commendet: ut quæ non solum necessaria sit ad salutem, verùm quia nulla est alia ratio, qua Regnum Cælorum nobis comparare possimus, præter hanc unicam mandatorum Dei observantiam. Confirmavit Christus hanc sententiam, quando cuidam Principi Judæorum percontanti etiam genuflexo: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam,* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hinc

colligit Ecclesia, expresso Dei verbo edocta, neminem vitam consequuturum æternam, qui prius mandatorum Dei observatione ipsam non promeruerit. Non dixit Christus, si vis ad vitam ingredi, solum crede, pro certo statuas te ingressurum vitam æternam, & ingredieris, sed *serua mandata*. Est ne expressum Dei verbum, serua mandata? Est ne oppressum fidei tribuere quod Christus tribuit obedientiæ? Profectò Lutherus comburitur illo inextinguibili ligni inferni: comburitur & Melancthon; torquebuntur cum illis Brentius & Calvinus, & alii hæretici, quia non observatores, sed contemptores, & oppressores sunt verbi Dei. Christus legisperito, qui ipsi insidias paraverat, respondens hanc controversiam de necessitate operum declaratam atque iudicatam nobis reliquit, quando referente Luca, decimo, illi sciscitantem quid illi esset faciendum, ut vitam consequeretur æternam, ad legem ipsum remisit, non ad solam fidem, quæ si æternæ vitæ consequendæ sola sufficeret, non dixisset Christus: *In lege quid scriptum est? quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & tota animatua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Approbans Christus ejus responsum dixit: *Rectè respondisti, hoc fac & viues.* Profectò numquam falsum responsum Christus illi nec alteri dedisset rogatus de re omnium maxima, & quæ inter sacramenta nostræ religionis principem habet locum, qualis est illa in qua de mediis promerendæ vitæ æternæ agebatur.

Fuit solemne in veteri lege, perpetuoque in Judæorum Synagogis proclamabatur, æternam vitam fore comparandam obedientia legis, minimè verò sola fide in Christum venturam. Nam primò, Deuteronomii quarto legimus Deum populo Israelitico ita dixisse: *Et nunc Israel audi præcepta mea, & iudicia quæ ego doceo te, ut faciens ea, viuas,* Et capite quinto inquit Moyses: *Custodite igitur & facite ea, quæ præcepit Dominus Deus nobis, non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram, sed per viamquam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut*

vivatis & bene sit vobis. Levitici decimo octavo : *Custodite leges meas atque judicia , quæ faciens homo vivet in eis , ego Dominus.* Et Deuteronom. quinto , ex mandato Dei dixit Moyses filiis Israeliticis : *Honora Patrem tuum , &c. ut longo tempore vivas.* Non est temporalis , sed spiritualis illa promissio , alioqui non esset veritas in promissionibus divinis : siquidem Abel & aliis quamplurimis filiis qui summa cum pietate ac reverentia Patres coluerunt suos , diuturnam vitam non concessit : Cain verò & aliis filiis protervis & immorigeris , maximè. Neæmias nono , testatur vitam populis Israeliticis promissam , si mandata servarent : *Ipsi verò (inquit) superbè egerunt , & non audierunt mandata tua , & in judiciis tuis peccaverunt , quæ faciet homo , & vivet in eis.* Ezechiel vigesimo dicit , Deum dedisse mandata suo populo , in quorum observatione vitam collocaverat. Sunt & alia quamplurima testimonia , quæ convincunt in mandatorum Dei observatione , vitam Christianorum consistere , non in sola fide.

Sed ne quisquam sit , qui carnis sequutus sententiam , quod Judæi faciebant , dicat , putet , aut affimet promissiones illas vitæ æternæ consequendæ temporales & carnales fuisse , ad Paulum ipsum remittentes dicimus , quod lex spiritualis est , id est , spirituales requirit observatores atque intellectores. Paulus item ad Galatas tertio , non de vita temporali & carnali , sed de vita spirituali animæ , locum illum Levitici decimo octavo : *Hoc fac & vives* , interpretatur. Millies reperiemus in Libris Sacris veteris Testamenti voces has , *Custodite mandata mea , facite mea præcepta. Obedite meis præceptis , servate meas justificationes.* Item & alias voces , his respondentes , faciemus , custodiemus , observabimus , atque alias eis respondentes. Quæ omnes testantur in Synagogis olim non fidem solam in Christum futurum , sed legem etiam ad vitam consequendam necessariam esse Scribas Pharisæos ac reliquos omnes Moysaicos prædicatores & sanctos viros Judæis proclamasse. In primitiva etiam Ecclesia Concionatores Christi quales erant Apostoli , ac reliqui discipuli , ita instituebant eos , qui ad fidem Christi

convertabantur, ut simul atque novitatem vitæ meditantur, mox perconctarentur à suis evangelizantibus: Quid faciemus? Multò frequentior erat illis interrogatio, Quid faciemus, quàm quid credemus. Testantur hoc esse verum, voces illorum, qui audito Petri divino de Christo præconio, potentia verbi crucis concitati, compuncti corde dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: *Quid faciemus viri fratres?* Non rogant quid credendum sit, sed quid faciendum. Item Paulus quando equo disjectus, pulvere involutus, tremendo quodam horrore concussus, audivit vocem Christi expostulantis cum ipso, & rogantis, quare ipsum persequeretur, ignorantiam prætexans respondit: *Quis es tu Domine?* Audito quod esset Jesus Nazarenus is quem ipse persequeretur, continuo quid se velit facere rogat, ut ejus in gratiam possit venire: *Domine* (inquit) *quid me vis facere?* non dixit: Quid me vis credere.

Præterea, non tantum hominum testimonio, verum & Angelorum constabit in primitiva Ecclesia semper Concionatorem, doctrinam operum tradidisse iis, qui ad fidem Christi profitendam conspirabant. Angelus ille, quem refert Lucas Actorum capite decimo, se representasse Cornelio in visu, ubi ipsum certum reddidit quod orationes suæ & eleemosynæ ascendissent in memoriam in conspectu Dei, subdit: *Et nunc mitte viros in Joppen, & accerse Simonem quemdam qui cognominatur Petrus, hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare, hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Profectò si sola fides posset Cornelio ac ceteris omnibus sufficere, non dixisset Angelus, ipse dicet tibi, quid te oporteat facere, sed quid te oporteat credere.

Joannem Baptistam dum interrogarent turbæ de ea doctrina, quam ipse indicaret sequendam, non dixerunt: Quid credemus? sed *quid faciemus?* Publicani etiam conversi venientes ad suum baptismum rogabant, quid faciemus, non, quid credemus. Interrogabant & eum milites dicentes: *Quid faciemus & nos?* non autem postulant quid

quid sit credendum. Verùm cunctis dum prudentissimè responderet, & in catechismo instruit, non solam fidem commendat, sed charitatem amplectendam sectandamque præscribit, utpote quam ad salutem necessariam existimaret. Nam turbis dixit: *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti, & qui habet escas similiter faciat.* Publicanos ita catechizat: *Nihil amplius exigatis, quam constitutum est vobis.* Milites verò, *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Joannes ipse Baptista, & Christus cum divinam suam exordirentur prædicationem, non solam proponebant fidem, sed, pœnitentiam agite, clamabant: *Facite fructus dignos pœnitentiæ,* dicebat Joannes, non jactabat solam fidem. Quæ si ipsa sola sufficeret ad salutem, numquam profectò Christus, Apostoli, Baptista, & alii Apostolorum filii, suis in concionibus tantam adhibuissent diligentiam in charitate, suisque operibus prædicandis. Ineptum planè fuisset neglecta primaria fidei solius doctrina, alteram, operum scilicet, auditorum auribus inculcare. Verùm quia sola fides perdit, salvat verò ea, quàm charitas ornat, atque animat; ideò verus Ecclesiæ Catholicæ Concionator, fidem proclamet operantem per dilectionem. Obedientem se præstet Christo dicenti suis Apostolis: *Euntes in mundum prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos, & cetera, & docentes eos servare omnia quæ dixi vobis.* Doctrina operum ex Christi sacratissimo pectore est deprompta, & ex illis moralibus fontibus unde suavissimi aquarum scaturiebant nobilissimi fontes, profluxit. Doctrina verò solius fidei ex inferno emersit, & si inde non, certè ex aliquo mucido atque limoso pœnu, ubi diabolus aliquis terrestris diu latuerat, vel ex pectoribus corruptissimis, & depravatissimis. Quorum manifestissimas & venenosissimas pestes abominabuntur, qui sinceritatis & veritatis candidi ac religiosi fuerint amatores. Quibus consolandis inter tot ac tantas injurias animarum illa satis erit persuasio & certa scientia, quòd Christi doctrinam audiant,

quando audiunt eas, quas Romana docet Ecclesia. Talis enim est doctrina de necessitate operum ad salutem.

CAP. XII.

QUOD CONCIONATORES DEBEANT

semper ita suas instituere Conciones, ut legis

& Evangelii doctrina constant.

Refert Matthæus, uti superius ejus testimonio notum fecimus, Christum illud in primis suis Apostolis in mandatis dedisse, ut mundum euntes docerent cunctas gentes servare omnia quæ illis dixerat. At verò non exprimit, quæ sint illa quæ ipsos docuerat in omnes gentes evulganda, ac prædicanda. Verùm Lucas ultimo capite nos certiores reddit, quæ illa fuerint mandata, quæ Christus ipse suos docuit discipulos. Nam expressa verba sunt Christi Apostolis dicta: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Hierosolyma.* Dicit hic Christus prædicandam pœnitentiam, id est, fidem in Christum, sacramentaque pœnitentiæ, & alias pœnitentiæ partes, quas Christus ipsos docuerat. Quæ sit vera pœnitentia, lex nobis manifestat. Remissionem peccatorum, animarumque justificationem, Evangelium Sacramentis nobis parari annuntiat. Item lex jubet quæ sunt ad salutem necessaria. Evangelium demonstrat, unde sit nobis expectanda virtus legi implendæ. Idcirco Catholicus Ecclesiastes legem & Evangelium ad salutem necessarium semper ex Christi institutione & mandato, præconio constanti debet proclamare. Facitque Christo injuriam Concionator ille qui negat, vel tacet legem ad salutem non pertinere. Cum Prophetas, Christum, Apostolosque ita docuisse, atque populos in hac causa informasse, manifeste

tè ex Scriptura universa constet. Isaias cap. 58. suis auditoribus legalem proclamavit concionem, quando accepit in mandatis: *Clama ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum.* Sed is idem mox Evangelium eisdem manifestavit auditoribus, quando capite nono dixit: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.* Item Baptista, Lucæ 3. à lege suam instituit primam concionem: *Genimina (dixit) viperaarum, quis docuit vos fugere ab ira ventura? Facite fructus dignos pœnitentia.* Sed acerbitem hujus præconiî confestim, Evangelii suavitate annunciata, est moderatus, quando extento sacro digito, sacratissimum ostendens atque caestem agnum dixit auditoribus perterritis & commotis: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Joann. 1.

Nec fuit dissimilis Christi prædicatio ab istis superioribus. Nam auspicaturus suam admirandam functionem proclamandi voluntatem Patris dixit: *Pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum Calorum.* Et illud Matthæi 11. *Væ tibi Chorazaim, Væ tibi Capharnaum, & cetera.* Verum extemplo severitatem hujus rigorigue sermonis divina & inaudita benignitate mitigavit, siquidem generis humani misertus, ut qui viscera misericordiæ in sacratissimo Virginis utero induerat, dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* Matthæi 11. Imitatur Concionator Catholicus hos viros, Prophetam scilicet, & Apostolum, & Christum, qui Prophetarum, Apostolorumque & Concionatorum, divinus est magister.

Dicimus singulariter legem esse prædicandam atque Evangelium, non tamen inde quis inferet, Evangelium aliquid esse diversum à lege: illud tantum est discriminis, quod lex præcepta continet, & præceptorum exigit observationem, non tamen confert vires ipsis præceptis servandis, nec indicat unde sint nobis expetendæ. Evangelium verò nihil diversum ab ipsa lege præcipit. Sed ipsam legem multò evidentius interpretatur & dilucidius ejus virtutem manifestat, & in quo ejusdem legis perfectio consistat, planum facit. Adeò non est diversum

Evangelium à lege, quòd Jacobus eum dicat legem esse perfectæ libertatis. Verùm in hoc differt Evangelium à lege, quòd per ipsum nobis annunciat, Christum in hunc mundum venisse peccatores salvos facere. Et ut nos de manu, id est, de potestate inimicorum nostrorum liberaret. Annunciat etiam nobis per Evangelium, quòd Christus natus & incarnatus, traditus sit propter delicta nostra, & resurrexerit propter justificationem nostram. Annunciat etiam nobis Evangelium, quòd justificati ex fide, pacem habemus ad Dominum, per Jesum Christum, per gratiam istam in qua stamus. Item annunciat nobis per Evangelium, quòd Christus moriens vicerit peccatum & mortem, diabolum & infernum, & quòd ipse fortior armatum fortem vicerit, spolia crepta distribuerit, & abstulerit arma in quibus confidebat. Annunciat etiam quòd advocatum habemus apud Patrem Dominum nostrum Jesum Christum. Et quòd nostra multum interest, Evangelium ostendit nobis quibus mediis simus consequuturi justificationem, nempe fide, charitate, atque spe, & timore.

Demonstrat etiam Evangelium quis illas virtutes divinas nobis elargiri posset, scilicet, Deus. Cujus meritis, non nostris, sed Christi, per quem, non per legem, nec per naturam, sed per Spiritum Sanctum, qui charitatis diffusor est in cordibus nostris. Hic Spiritus Sanctissimus operatur intus in nobis divinas illas virtutes, & plerasque alias, quarum divina excellentique potestate Deum placamus, & ipsum nobis alioqui offensum, atque indignatum reconciliatum reddimus. Repurgantur corda, lavantur conscientie, & anime Sacratissimi Sanguinis Christi participes fiunt. Evangelium etiam nobis ostendit, quod in septem Sacramentis Ecclesie Catholice Sanguinis Christi pretium, dignitas, ac meritum nobis communicatur, ita ut non tantum intus anima lota inde emergat splendida, verùm caro & ipsa anima sanctificata remaneant. Annunciat etiam Evangelium, unde sit nobis petenda virtus ad bene meritorieque operandum, nempe à Deo. Et quod nostris meritis solis suam gratiam nec

pro-

promereri nec consequi possumus. Illud etiam Evangelium nos admonet quod si Christi intercedant merita, dignitas, & intercessio, facile id quod optamus nobis poterimus comparare, vires scilicet ad bene beateque vivendum, quibus mandata servemus, & æternam vitam promereamur. Renunciat etiam nobis Evangelium, reseratum Cælum iis, qui suorum operum interposita ratione sanguine meritisque Christi decorata, cujus altissima inæstimabilique virtute merita nostra ornantur, atque tanta retributione digna fiunt, eo venerint ingressuri.

Lex verò nihil tale ostendit. Ejus officium solum est, præceptorum nos admonere. Semper enim clamat: *Serva mandata. Non concupisces.* 2. Lex peccatum demonstrat, dicente Paulo: *Nam peccatum non cognoscebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* 3. Lex etiam iram operatur. 4. Ostendit omnes esse obnoxios æternæ maledictioni, qui legis præcepta transgrediuntur: *Maledictus omnis* (clamat lex) *qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus.* 5. Lex auget & aggravat peccatum, dicente Paulo ad Romanos: *Ubi non est lex, non est peccatio.* 6. Lex etiam tantum fuit pedagogus noster ad Christum. 7. Lex omnes conclusit sub peccato, & omnes tenebat oppressos, & condemnatos. Paulus ad Galatas tertio: *Prius enim quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi*, id est pressi & condemnati, si peccatis vitam commacularem. 8. Erat lex quasi murus, qui nos tenebat suis comminationibus, suo timore, atque poenis, peccatis nostris præstitutis omnes conclusos, & peccati depressos ne peccarem. 9. Lex propter transgressionem posita est. Ad Galatas 3. & ad Romanos 5. inquit Paulus, quod fuit posita vel data propter transgressionem, id est, non est data ut quemquam justificet, hoc nec lex poterat ante Christum, neque ob eam gratiam fuit data, verum, ut inquit Chrysostomus & Hieronymus, ob transgressionem coercendas. Consuetudine, & peccatorum impietate lex naturalis in hominibus illius sæculi ferè jam erat extincta, ac quasi deleta, unde quamplurima com-

mittebantur peccata, quæ quamvis essent gravissima, ob consuetudinem, non talia reputabantur. Deus autem ut huic malo tam gravi opportuno remedio occurreret, electo populo legem dedit, propter transgressiones vitandas atque coercendas. 10. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, fuit verò introductio melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 11. Lex vitam præstare non potuit. Si enim data esset lex quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Ad Galatas tertio. 12. *Lex in homine dominatur*, id est, gravi & magno imperio mandat hominì *quanto tempore vivit*, ad Romanos septimo. 13. Lex neminem justificabat: Paulus ad Galatas 2. *Non justificatur homo ex operibus legis. Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Ibidem. *Quia ex operibus legis non justificatur homo.* Ad Romanos 3. Quasi dicat, lex illa per Moysen data quamvis sancta, justa & bona, & mandatum sanctum, & justum, & bonum, neminem tamen antequàm Christus veniret, justificare poterat, nec justificabat. Non ob suam aliquam culpam, vel vitium, nec ob aliquem ejus defectum, sed culpa & vitio hominum, qui illam non observabant. Non tamen poterant illam observare: quia ipsi soli sibi sufficere arbitrabantur Judæi: suis enim viribus existimabant, sine Christo se posse illam servare, cum nihil minùs præstare possent. Ob id dicit Paulus illam fuisse *pedagogum* ad Christum, ut homines se experirentur inidoneos & insufficientes, viribusque destitutos legi servandæ, ex Prophetisque & ex ipsa lege intelligerent Christum futurum, atque subministraturum ipsis vires ad servandam legem, cujus adventus tanto ardentius exoptarent, quanto infirmiores se indies legi observandæ deprehenderent, pararentque se Christo venturo quem lex ipsis annunciabat, suscipiendo. Ideò Paulus vocat legem *pædagogum* ad Christum, atque inutilem quæ aliquid ad perfectum deducat. Tenet lex omnes conclusos in carcere peccati, ut omnes alioqui superbos, humiles reddat, & unicuique se suamque infirmitatem, imbecillitatem, & inopiam oculis intuendam subjiat, & ad
Chris-

Christum qui est nostra fortitudo, virtus & refugium, & *adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis*, remittat, & ad ipsum quærendum anxios nos faciant. Christus tamen sua morte & suo sanguine legi virtutem tribuit: justificandi, & hominibus vires legi implendæ, cujus impletione justificatiores evaderent. Abundè satis & perspicuè arbitror me legis & Evangelii discrimen ostendisse: ostendi autem illa discrimina, quæ Concionatori videbantur necessaria: ceteri verò Scripturarum Sacrarum periti, alia deprehendent discrimina graviora, præsertim si Augustinum evolvant. Gaudeant hi suis inventis, nos verò Concionatores juvare prosequamur.

Est etiam advertendum omnibus Concionatoribus, quod ante Christi adventum, quando lex legisque severitas omnium dominabatur, illi qui legis tenebantur limitibus conclusi ac cincti, habebant cor lapideum, durum, indocile, ac planè Deo rebelle, & divinis mandatis suscipiendis prorsus ineptum. Nec ipsa lex tam sufficiens erat, ut duritiam illorum cordium tolleret, aut in suavitatem converteret. Non poterat lex rebellionem illorum cordium in obedientiam commutare, nec hebitudinem in docilitatem. Quia non fuerat in hoc data, nec ejus hoc erat officium, nec eo usque extendebatur sua potentia. Et quamvis nihil prorsus eorum que diximus lex præstare potuerit, deficiebat in hoc etiam, quod sicuti ostendebat apertè peccatum, non ita ostendebat unde nobis comparaturi essemus eam virtutem, cujus subsidio muniti illas cordis ad salutem necessarias reformationes obtinere possemus, quibus peccatum quod lex demonstrabat tollere, vel vitare possemus. Quod grave nobis detrimentum pariebat. At verò Evangelium, quamvis ipsum etiam per se solum consideratum littera sit occidens, quæ sine spiritu nihil prorsus efficere possit, in hoc tamen legem longo præstat intervallo, quod nobis manifestam dat notitiam, unde nobis sit expectanda virtus, potentia, & potestas illa, quæ corda lapidea, dura, & vetera sive rebellia, commuret in corda carnea,

id est, suavia, docilia, tractabilia, atque jugo Christi ferendo idonea. Docet etiam nos, quibus mediis hanc virtutem & gratiam & auctorem ejusdem gratiæ, sive divinum artificem qui intus in cordibus nostris mirabili quodam modo scit, ac potest ista omnia operari, possimus nobis comparare, ut peccatum vitemus & eo quod nos premit liberemur. Docet Evangelium, hunc divinum artificem esse Christum, qui est fons & auctor totius boni in cujus inevitabili manu sunt omnium hominum corda. Docet Evangelium media sive instrumenta, quibus illi divini labores nostris insculpuntur cordibus, esse fidem, charitatem, spem, timorem, humilitatem, gratiam, & alias sacras virtutes, quæ in ipso novo Testamento passim commemorata inveniuntur. Docet Evangelium, omnia ista nobis contingere per Christum, & Spiritum Sanctum. Quæ nihil prorsus ostendebat lex. Quamvis Judæi spirituales ex ipsa lege & Prophetis hæc quasi à longè contemplantur, intuebanturque inquam plurimis locis ipsius legis, & vaticiniis Prophetarum, nam legabant in Ezechiel. cap. 36. Dominum dixisse: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Et *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini*: tamen ante adventum Christi hic spiritus, quo erant observaturi mandata Dei & judicia, nondum erat positus in medio Judæorum, nec lex ipsum indicabat. Etsi sit verum selectis quibusdam viris, ut David, Simeóni, Zachariæ, Elisabeth, Annæ, Joachimo, & aliis similibus spiritum illum concessum fuisse. At qui non omnibus promiscuè. Evangelii verò tempore, omnibus volentibus hic Spiritus, quo in mandatis Dei ambulent, quo ejus statuta custodiant, ultro datur, ita ut *non sit distinctio Judæi neque Græci, masculi neque feminae, servi nec liberi, pauperis aut divitis, dum indifferenter omnibus volentibus ipsum accipere, ut ejus virtute bene operentur, est oblatu.* Et hoc annunciat Evan-

gelium, quod lex numquam fecit. Docet etiam Evangelium, ubi hic spiritus sic inveniendus, nempe in Ecclesia Catholica Romana, in qua sola residet.

Item observandum venit, aliud discrimen legis & Evangelii. Lex teste Paulo 2. ad Corint. cap. 1. erat scripta in tabulis terreis & lapideis: Evangelium verò est scriptum *in tabulis cordis carnalibus, non atramento, sed Spiritu Dei vivi*. Dixit Paulus scribens ad Hebræos cap. 7. quod *lex nihil ad perfectum adducit*. Alia verò universa Scriptura novi Testamenti clamat Evangelium perfectionem continere, atque docere. Christus ipse hoc apertè discrimen inter legem & Evangelium annotatum, dum esset in vivis, nobis reliquit, cum juveni affirmanti se totam vitam universa legis mandata custodivisse, respondit, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*. Hanc perfectionem de ita sequendo Christo, lex numquam docuit, nec de vendendis propriis rebus ullam umquam fecit mentionem, Christus verò, maximè. Ratio verò quare lex nihil, id est, nullum hominem perfectum efficiebat, ea est, quia cum apud Deum non sint alii iustificati, nisi ii qui legem servant, non autem qui audiunt, teste Paulo ad Romanos 2. qui ait: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores*: Lexque etsi auditores suos suæ observantiæ admonebat; quia tamen nemini virtutem qua ipsam posset servare præstabat, ideò neminem justificabat, neque ad perfectionem legis adducebat. Evangelium verò quia non tantum præcipit ac docet quid sit faciendum, verum promittit gratiam & virtutem qua præcepta custodiamus, atque ostendit unde virtus illa & potentia sit nobis expectanda; ideò ad perfectionem cuncta quæ lege continentur & universos suos observatores adducit. Virtutem hanc seu potentiam spiritus, jam olim ante Christum prædixerat Ezechiel impartendam fidelibus in adventu Christi, quando cap. 2. personam Dei agens dixit: *Et dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, ut in*
præ-

præceptis meis ambulent, & judicia mea custodiant, faciantque, ut sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. Hæc omnia, nempe cor carneum, & virtus seu potentia qua faciamus mandata, gratiaque qua custodiamus præcepta, erant necessaria ad perfectionem consequendam. Quæ cum lex non præstaret, sed prædicaret futura tempore Evangelii, ideò neminem justificabat, nec perfectum faciebat. Atqui cum Evangelium omnia hæc promittat, prædicet, atque unde & quomodo sint nobis comparanda doceat, ideò dicimus Evangelium omnia ad perfectionem adducere: non littera ipsius Evangelij, quæ sola occidit, sed spiritus littera contentus, qui vivificat observatores legis perfectæ liberratis, & etiam justificat.

Est & aliud non quidem vulgare discrimen inter Evangelium & legem, dignissimum quod considerent omnes Concionatores, si veram utriusque, legis scilicet & Evangelij, naturam & conditionem perspectam habere exoptant: lex non habet eam dignitatem nec virtutem ex sola sua natura, qua suos observatores dignos reddere possit æterna retributione, nec ex sua sola natura poterat justitiam alicui præstare, nec meritum, aut ullam dignitatem, etsi maximè religione observaretur. Ob id inquit Paulus, Gal 3. *Quod si data esset lex quæ posset justificare, verè ex lege esset justitia:* Nimirum quia non fuit in hoc data, nec à Deo præcepta, nec habebat unde meritum illud aut dignitatem sibi posset vindicare. Nam quamvis à Deo fuerat in monte Sinai data, nihil tamen in se ex sola sua natura habebat divinitatis, ut quæ littera esset nuda, tabulis lapideis exarata. Et eam quam postulabat obedientiam, non sua propria auctoritate apud homines obtinebat, sed amplissima sui auctoris & incomparabili majestate, quæ tanta est, ut omnes creaturæ, tum cælestes tum terrestres, omnimodam ipsi debeant reverentiam & obedientiam. Quod probat Basilius satis eleganter. Evangelium verò, quamvis si ipsum solum quaerens littera est, etiam littera sit occidens, sitque ejusdem conditionis atque lex; id tamen habet discriminis, quod

quod sit conditum per Filium Dei incarnatum, & ipse ex-
titit ejus auctor. Et illud condidit, non ut solum officium
legis præstaret, nec ut eum prætenderet finem quem lex
prætendebat. Sed quid? Instituit Christus & formavit
Evangelium, primo ut annuntiaret impiis & peccatoribus
se esse natum, se esse Messiam olim tot figuris adumbra-
tum, ac tam multis Prophetarum vaticiniis prædictum,
se esse verum Salvatorem, per Joseph figuratum, qui
sua morte intercedente pacem inter Deum & homines
esset compositurus, qui genus humanum Deo esset re-
conciliaturus, quique animas omnium Christianorum
suo sanguine esset expiaturus, qui justificaturus erat in-
justos, qui nobis impleturus erat legem, qui etiam homi-
nibus daturus erat virtutem legis implendæ, & legi etiam
daturus erat virtutem, qua suos observatores justificaret,
dignosque sua observatione redderet æterna cælestique
mercede. Officium igitur Evangelii est, annunciare Chris-
tum, cujus divina virtute sint homines sancti, justi,
pii, spirituales, boni, idque per charitatem quam Spi-
ritus Sanctus diffundit in cordibus nostris. Finis etiam
Evangelii est, homines ad æternam felicitatem promove-
re, dirigere, cælestibusque inferre choris, ubi vita
fruuntur æterna. Idcirco Paulus vocat Evangelium legem
spiritus vitæ, & spiritus ministrationem. Annunciat Evan-
gelium, per fidem in Christum remitti peccata in Sacra-
mentis: nobis dari Spiritum Sanctum: adoptari in filios,
& heredes vitæ æternæ fieri, cujus æternæ hereditatis
ipse Spiritus Sanctus est arrhabo & pignus. Percepta igitur
hac diversitate legis & Evangelii, & cognosceret facile
doctus Concionator, quod discrimen legis & Evangelii
non est ejus conditionis quod diversitatem aliquam consti-
tuat inter substantiam legis & Evangelii. Siquidem ea-
dem sunt præcepta Evangelii & legis. Item quod nihil
diversum à lege præcipit Evangelium. Deus fuit auctor
legis per servum Moysen: is idem est auctor Evangelii
per unigenitum suum filium, Dominum nostrum Jesum
Christum. Officia Evangelii sunt non contraria neque ad-
versantia legi: sed cum sint eadem, sunt multò perfec-
tio-

tiora , & majoris potentiaë , virtutis , & præstantioris dignitatis , quam officia legis Moysi. Unde elegantissimè legimus dixisse Paulum Rom. 8. *Nam quod impossibile erat legi , in quo infirmabatur per carnem , Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati , & de peccato damnavit peccatum in carne , ut justificatio legis impleretur in nobis , qui non secundum carnem ambulamus , sed secundum spiritum.* Non est hujus loci totum hunc locum planum facere. Verùm illud annotandum censeo , quod proposito maximè congruit instituto , scilicet , quod impossibile erat legi facere , ut ejus auditores non obtemperarent nec consentirent peccato , in quo , id est , quatenus imbecillis & infirma erat , per partem illam carnis , qua peccati fomentum occultum reservabatur , Deus mittens filium suum factum ex muliere , id est , genitum ex Maria Virgine , fecit ut esset possibile , ut scilicet lex quæ peccatum vincere non poterat , in posterum vincat ac superet. Id quod Evangelium nobis annuntiat. Quæ annuntiatio tam est grata peccatoribus & opportuna , ut incomparabilem lætitiã & hilaritatem iis qui sub legis jugo gravissimo pressi tenebantur , adferat ac pariat.

Eadem difficultas atque impossibilitas naturæ inerat. Unde Augustinus , qui felicius multò quam reliqui omnes Doctores Sacri in hac materia fuit exercitatus , in libris de natura & gratia dixit , quod quemadmodum Paulus ad Galat. 2. dixit : *Si per legem justitia , ergo gratis Christus mortuus est* , ita si per naturam justitia , ergo Christus gratis mortuus est. Fuerunt quamplurimi ante legem justificati , ut Abraham , Isaac , Jacob , Joseph , Melchisedech , Seth , & alii quamplurimi , ut Job , &c. Item in lege fatemur quamplurimos justificatos fuisse atque consequutos omnia hæc beneficia , quæ per Evangelium nobis annuntiantur. Verùm nullus umquam virtute legis aut naturæ humanæ solis viribus amplissima illa redemptionis generis humani beneficia fuit consequutus , nisi per fidem in Christum venturum. Quod luculenter satis convincit Paulus in Epistola ad Romanos. Et Petrus qui Actis Apostolicis constantissimè affirmavit non esse aliud

nomen datum hominibus sub celo, in quo oporteat nos salvos fieri, nisi in nomine Domini nostri Jesu-Christi. Actor. 4. Hanc ultimam Spiritus Sancti sententiam in hujus causæ decissione ab eodem Spiritu Sancto latam amplexatus Augustinus in quàm plurimis locis asseruit omnes illos sanctos qui Christum præcesserunt, sive legis tempore, vel naturæ, non per aliam fidem fuisse factos salvos, nisi per illam, quam nobis Evangelium annuntiat. Quam tunc temporis, divino modo, & admirabili prorsus sapientia, ipse Deus, cujus magnitudo tanta est, ut ejus non sit finis, cujus sapientia tam est immensa, ut nulla sit alia in terra, nec in Cælis, quæ ipsi veniat comparanda, vel per Angelos, vel internas aliquot inspirationes præstabat, & per sanctum suum Spiritum illorum cordibus infundebat.

Placet hic admonere lectorem ejusdem impiæ doctrinæ, quam scioli effutire dum nimium sapere gestiunt, vel apud eruditos impudenter & temere, vel apud rudes & agrestes audacter præsumunt. Affirmant hi Christum legislatorem humanum tantum fuisse. Et ut eorum impietas prorsus insaniat, dum magnos legislatores in certum numerum redigunt, relatis in primis Solone, Licurgo, Moyses, mox Christum, quasi novum legislatorem superioribus innectere contendunt, post quem Mahumerum legislatorem etiam celebrare non dubitant. Falluntur prorsus hi, & non sapiunt, etsi maximè se sapere sibi ipsis videantur. Percurrant universam legem Mosaicam, videant, explorentque universa ejus præcepta, postea pari diligentia & majori si velint, dimetiantur Christi doctrinam, & ubi exactè cuncta hæc perlustraverint, judicium faciant, num aliquid inveniant in lege Christi, quod legi Moysi adversari videatur, vel in lege Moysi quod Christi doctrinis opponi ulla possit ratione: loquor de præceptis moralibus Decalogi, cetera enim ceremonialia atque judicialia, non erant æterna, nec per se data, sed ita erant mandata, ut tempori servirent rerumque futurarum exemplaria nobis præsto facerent. Ubi veritas apparuit, evanuit umbra, & quando accessit tempus ab æterno decretum sempiternum

num futurum, illi cessit id quod ad tempus erat stabilitum. Nihil prorsus disparitatis, aut diversitatis, neque discriminis usquam quis poterit deprehendere, aut expiscari, inter præcepta legis moralia, & Evangelii Christi mandata & Moysis. Eadem enim sunt præcepta Christi atque illa quæ dedit Moyses. Dicitur lex Christi nova & Christus novus legislator, non propter diversitatem mandatorum, sed propter novitatem gratiæ quam Christus pollicetur, cujus beneficio legem observare possimus. Quam gratiam nec lex nec natura conferebat. Et quia hæc gratia, cujus adjutorio legem meritorie servamus, innovat hominem, & datur nobis per Christum, ideo dicitur Christus novus legislator, & propter septem Sacramenta Evangelica.

Verùm si quis objiciat illud quod Matthæus cap. 5. narrat Christum dixisse: *Audistis quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum, &c. Ego autem dico vobis* (inquit Christus) *diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, quasi præceptum à Christo datum præcepto Moysi contrarium sit; fallitur prorsus. Nam Christus non inquit audistis quia dictum est antiquis à Moyse diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Nec inquit Christus in lege quid est scriptum: sed inquit: Audistis quia dictum est antiquis, &c. Ut Christianos admoneret cujusdam antiquæ legis depravationis, & Judæos ipsos confunderet, & insimularet legis temerata. Quod idcirco dictum credimus, primò, ut Judæos verum atque germanum legis sensum doceret. Secundò, ut errorem illius loci in legem falsa quorundam antiquorum Phariseorum aut Scribarum legis perversione commissum corrigeret. Nam nusquam legimus, in lege universa Deum mandasse, nec Moysen docuisse, inimicos odio prosequendos. Sed ipsi falsi Rabini Scribæ aut Pharisei pro suo more, dum legem sine charitate & sine spiritu interpretari præsumebant, ut erant carnales, carnali etiam mente omnia interpretabantur. Unde cum locum illum legis interpretandum susciperent, legerentque divino mandato sibi esse præceptam dilectionem proximi:

mi, peccabant graviter in explanatione ipsius legis. Nam primò dum inquirunt, quis esset illis habendus proximus, cui illam dilectionem essent exhibituri, docebant non alium habendum pro proximo nisi amicum. Peccabant & graviter in hac legis seu præcepti interpretatione, cum omnium doctorum constanti decreto, afirmeretur quod proximus non solùm sit amicus, verùm omnis homo.

Secundò peccabant multò gravius adhuc contra ipsam legem. Siquidem recepta illa expositione legis, quod proximus sit amicus & non alius, tamquam vera Deique menti admodum congruenti, inferebant: Si igitur amicus est diligendus, ergo odiendus inimicus. Quam perniciosam ac pestilentem illationem non satis fuit esse commentos, verùm dum populis illius præcepti substantiam traderent, illam esse secundam rationem implendi præceptum docebant, ut primo diligerent amicum, ac deinceps odio prosequerentur inimicos. Hanc adulteratam legis & præcepti interpretationem dum Christus, qui legis erat veritas, corrigere instituit, dixit: *Audistis quia dictum est antiquis: Diligite amicos vestros, & odio habete inimicos vestros. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Quasi dicat, vestri majores vos docuerunt, amandum esse amicum tantum, odio tamen habendum inimicum. Ego autem qui multò meliùs legem novi, qui voluntatem ejus qui legis est conditor perspectam habeo, ut qui ejusdem sim cum illo substantiæ, dico vobis, non ita esse legem intelligendam, ut prisci vestri majores falso vos docuerunt, sed est diligendus proximus. Est autem proximus omnis homo, sive amicus sit, vel inimicus. Omnes homines sunt diligendi, prophani & impii propter naturam: Christiani verò propter Christum, cujus fratres ac filii, propter redemptionem & sanguinem sacratissimum in Sacramentis ipsis communicatum. Sunt verò ita homines diligendi, ut id quod est Dei in ipsis amplectamur, magnoque prosequamur amore, id autem quod est carnis peccati, aut diaboli abominantes detestemur. Et ita fiet ut in

infidelibus amemus naturam, in qua quamvis corrupta ac depravata, Dei relucet divina imago, & in fidelibus Christianis amabimus etiam hanc Dei imaginem, divina admirabilique ratione per Christum reparatam.

Nec (ut ad primarium redeamus institutum) aliqua erat sententia in universa veteri Scriptura, quæ illis depravandi hujus præcepti ullam potuisset occasionem præstare. Imò certa quædam & aperta Scriptura erat, ex qua paulò maturiùs & diligentius perpensa, poterant intelligere, quam gratiam inimicis Deus vellet ipsos præstare. Moyses enim Exod. 23. ipsis dixerat: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, sub onere jacere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Quæ verba Chaldæus Paraphrastes, qui apud Judæos summam est consequutus auctoritatem, ita interpretatur: Quando videris asinum odientis te jacentem sub onere suo, & desieris adjuvare eum, dimittens dimittes odium quod erat in corde tuo adversus eum, & sublevabis ipsum cum eo. Si Judæi qui legis erant interpretes, sana mente locum illum intelligendum scrutati fuissent; multò opportuniùs, & multò certius (& quod textui conformius erat) intulissent. Si Deus jubet, ut asinum oneri subjectum, ab ipsoque graviter oppressum ita juvemus ut institutum iter remorantes, non prius ulterius simus progressuri, quam subsidium inimico præstemus, quo asinus in pedes sese erigat; ergo multò magis illi placebit, si inimicum laborantem, aut calamitate aliqua gravatum, deponentes odium corde, omnino officio juvemus. Nam qui bruti tantam gerit curam, ut de subsidio illi præstando legem condiderit; majori gratia ipsum affici erga homines, quos formavit, ac unigeniti sui filii morte redemit, est credendum. Multoque acceptius & gratius erit officium quod præstitum fuerit homini, quam bestię. Sed excæcavit eos malitia eorum, ut videntes non viderent, & audientes non intelligerent. Judæorum, præsertim Pharisæorum & Scribarum, tanta erat mentis perversitas, & cordis malignitas, ut vel ipsam Dei legem, oblitum magnæ illius reverentiæ, quam Dei

verbis debebant, impiè temerare præsumperint. Idque non tantum hoc loco, verum aliis duodecim, quos in gratiam & magnum beneficium eruditorum Concionatorum proximo annotabimus capitulo. Nunc verò satis esse arbitror me ostendisse, quare sit necessaria cognitio legis, & Evangelii Catholico Concionatori: diximus etiam nihil omnino diversum à lege, quatenus ad substantiam legis attinet; Evangelium continere. Sed prorsus eadem præcepta Evangelium justificandis imperare, simul cum pœnitentia & fide, atque imperabat lex. Quale sit discrimen, planum superius fecimus.

Opportunam fore arbitror Concionatoribus hanc observationem, scilicet, quod cum Dominus Christus Jesus suis Discipulis, Apostolisque divulgare Evangelium in mundum universum mandavit, non tantum intellexit solas promissiones de remissione peccatorum, verum etiam in Evangelio comprehensam dedit doctrinam de mandatis, de comminationibus, de reprehensionibus & exhortationibus; quæ omnes doctrinæ ad salutem sunt necessariae. Quod verò ad Evangelium omnes aliæ doctrinæ promissionum, interpretationum, & comminationum, ac denique pœnitentiæ etiam pertineant, sintque ad salutem necessariae, Paulus Doctor gentium, non uno tantum loco, verum universa sua doctrina Epistolis contenta manifestè probat. Nam Romanos arguit, & ipsis doctrinam operum 2. & 5. & 13. ubi obedientiam postulat, inculcat. Corinthios non tantum docet, instruitque, verum etiam acriter increpat, atque reprehendit cap. 5. 1. Epistolæ quod fornicarium illum famosum tulerint: eosdem graviter admodum peccasse cap. 6. convincit, quando ait: *Fam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habeatis inter vos.* Indignè fert Paulus quod lites sibi invicem intentarent Christiani, idque ante tribunalia infidelium, quod magis eorum mutuam discordiam prodebat. Eodem 6. cap. scortationem insectatur, & fornicationem prorsus fugiendam docet 7. cap. 1. Corinthiorum maritos de vita cum pietate, & amore transigenda admonet. Servos, ut obedièntes se præstent, docet: *Servus*

(inquit) *vocatus es? non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis utere.* Idem docet 1. Timoth. 6. servos instruens, quibus dicit: *Quicumque sunt sub iugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.* Idem cum ad Ephesios scriberet cap. 6. admonet servos *ne ad oculum, id est ficto animo Dominis suis serviant, sed in simplicitate cordis.* Et cap. 11. 1. ad Corinthios, ipsos acriter pungit, quod abutentes sua comunione, quando in Ecclesiis comparebant sacram sumpturi synaxim, non tam decenter se gerebant, perinde atque majestas rei gerendae postulabat. Cap. 13. ejusdem Epistolae, docet doctrinam charitatis tam esse necessariam ad salutem, ut si solam fidem habeant tam veram, ut vel inaudita operentur, si charitate destituantur, nihil prorsus sibi sufficere ad salutem. Galatas etiam reprehendit, insensatos eos vocans 2. cap. Discipulis suis Timotheo & Tito districtè præcipit, ut peccantes coram omnibus arguant, cum omni imperio, ut ceteri timorem habeant. Alia quamplurima deprehendet exempla, quibus nostra confirmari posset sententia, quæ paulo attentius universas Pauli percurrerit Epistolas. At verò non dedignatur has omnes doctrinas Paulus Evangelium vocare: *Notum enim vobis facio Evangelium* (inquit ad Galat. 1.) *quod Evangelizo vobis, non enim ab hominibus, neque per hominem, sed per revelationem Domini nostri Jesu Christi, accepi illud.* Doctrinam Epistolis ad Corinthios comprehensam Evangelium vocat ipse Paulus, quando in prima Epistola cap. 4. dicit ipsis Corinthiis; *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Doctrinam 2. Epistolae etiam Evangelium esse affirmat, cap. 4. & 15. 1. Timoth. 1. & 2. Timoth. 1. doctrinas illarum duarum Epistolarum, Evangelium esse manifestè faretur: sunt tamen illic exhortationes gravissimæ & increpationes severæ admodum. Actorum quinto, legimus Ananiam & Saphiram Petri imprecatione mortuos, tamen neminem futurum arbitrator tam audacem, qui neger facta & dicta Petri, & Actorum Apostolicorum historia contenta, pro Evangelio habenda, nisi sit Manichæus.

Quam-

Quamvis hæretici nostri temporis Evangelium tantum affirmant illud esse quod remissionem peccatorum proclamant. Nos verò expressum Dei verbum sequentes, cujus gratiam & veritatem impudentissimè Brentius & Calvinus depravant, dicimus Evangelium esse doctrinam remissionis peccatorum, & doctrinam exhortationum, reprehensionum, Sacramentorum, afflictionum, pœnitentiæ, mortificationis, ac revocationis. Quis negabit Evangelium esse, verbum illud Pauli? *Mortificate membra vestra.* Et illud: *Fratres hora est jam nos de somno surgere, &c.* Et illud: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Nemo sanè, si bene sapit. Et illud ad Rom. 7. *Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati, ita exhibete membra servire justitiæ in sanctificationem.* Solus hæreticus has omnes doctrinas ad Evangelium spectare audebit negare.

CAP. XIII.

DEMONSTRATIO QUORUMDAM
locorum, quos Judæi in lege corruperant falsis
interpretationibus, Concionatoribus valde
necessaria cum sua restitutione.

ERat lex illa, quam Deus optimus Judæis observandam per Moysen dedit, trimembris. Cujus prima pars *moralis* dicebatur. Altera *ceremonialis*. Tertia verò vocabatur *judicialis*. Pharisei atque Scribæ, illique omnes qui legem interpretabantur, ad avaritiam conversi & honores, tametsi videbant primas partes deberi illi membro legis quod moralia præcepta continebat, atque tractabat, ut quæ præcipuam nostræ religionis, & primariam virtutem (charitatem scilicet) complecteretur, qua Deo & proximo debitum persolvimus amorem; videntes tamen observationem mandatorum ceremonialium sibi majori commodo, atque usui fore, neglecta doctrina

mandatorum legis moralis, atque relicta ea etiam doctrina, quæ judicialia mandata tradebat, facientes quæsum ex pietate, lucrisque insatiabiliter inhiantes, instabant apud populum quatenus reliquis omnibus prætermis-
 sis studiis, tantum legibus cæremonialibus observandis religiosè intenderent, ut quæ propter oblationes, & sacrificia & decimas, quæ lucrum, cujus ipsi sitibundi erant, adferebant, illis utilior erat. Adjuvabat horum Doctorum impium votum splendida quædam ratio, qua suam insatiabilem avaritiam ornare atque contegere non incommode poterant. Dicebant enim idcirco præcepta cæremonialia religiosius populis observanda colendaque fore, eo quod Deum ipsum, suumque cultum mirificè promoverent, & illi sacrificia & sacra illa officia gratiora essent. Moralia verò cum ad proximum tantum spectarent, non ita commendabant. Quin docebant, illa his esse præferenda tantò magis, quantò majus erat obsequium & officium quòd Deo debemus, quàm quod proximis præstamus. Hoc tam falso fundamento jacto, corruerunt verum atque genuinum Spiritus Sancti sensum legis moralis, tradentes populis quamplurimas falsas doctrinas, quæ legis cæremonialis dignitatem amplificarent, in grave præjudicium & magnam obscuritatem legis moralis: quam multo inferiorem cæremoniali legi esse prædicabant. Quòd ideò faciebant, ut populis persuaderent cultum, studium sacrificiorum, oblationum, decimarum, & aliorum commodorum frequentius præstare. Et inter alios errores quibus legem sordidaverant, duodecim ex Rabinorum lectione colligimus, quibus miserimè legem & Prophetas deturpasse probabimus. Prima corruptio illata legi, adversatur quarto mandato ipsius legis quo jubebantur omnes Judæi, parentes honorare ac revereri. Quæ reverentia juxta omnium Sacrorum Doctorum sententiam, non tantum externa civilitate ipsis exhibenda constabat, verum requirebat subsidium atque subventionem ipsis genitoribus (si indigentia premerentur) præstandam, sub pœna prævaricati præcepti. Pharisæi verò atque Scribæ simul cum Sacerdotibus omnem
 suam

suam curam in hoc unum conferebant, ut persuaderent filiis se majori vinculo teneri Deo, quàm propriis parentibus, ob idque se magis esse constrictos ad offerenda sacrificia, oblationes, ac decimas Deo, quàm ad subveniendum, parentibus, quantumvis calamitosis, atque indigentia victus aut amictus attenuatis, & maximè afflictis. Exornabant suam hanc impiam & crudelem legis temeritatem hoc fucō tam vano atque falso. Dicebant homines magis esse obligatos Deo, qui dedit cuncta bona, quæ homines possident, quam ipsi homini, & si maximè proximo: ob idque Deo magis esse retribuenda sacrificia, oblationes, quam aliquid pauperi, (etsi progenitor sit) conferendum. Hanc legis temeritatem Christus qui Dominus est legis, voluit refellere, uti falsam, impiam, & Deo maximè indignam, quando ut refert Matthæus cap. 15. dixit Pharisæis & Scribis Hierosolymitanis, qui percontabantur: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, non enim lavant manus cum panem manducant: Quare inquit Christus & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram. Nam Deus dixit: Honora Patrem, & Matrem, &c. Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit Patri vel Matri: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificavit Patrem suum aut Matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Eandem etiam sententiam, aut verius falsum commentum, destruit Christus, quando ut Marcus refert 7. Discipulis suis dixit: *Cavendum sibi esse à fermento Pharisæorum.*

Secundò persuadebant populis Pharisæi, ac reliquæ legis interpretes, solis filiis Abrahæ secundum carnem præparatam promissamque esse æternam illam beatitudinem vitæ æternæ.

Tertiò, docebant falso quod filii Israel secundum carnem, absque ulla pœnitentia vel restitutione, si modo oblationes, & lotiones quasdam adhiberent, essent adepturi vitam æternam, ut qui illi essent soli, quibus vita æterna promissa tantum esset, & non aliis. Has duas

doctrinas non legales, sed Pharisæicas, Joannes ille Baptistæ uti hæreticas, & divinæ legi maxime adversantes execratus est. Neque id tantum, verum severissima exprobratione adhibita improbavit, quando ut Matthæus est auctor, capite tertio, & Lucæ etiam tertio Scribis & Pharisæis venientibus ad Baptismum dixit: *Genimina viperarum quis vos docuit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, dico enim vobis: Quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ.* Quibus verbis docuit Christus superiorem doctrinam esse falsam hæreticamque & legi Dei maxime repugnantem. Quia absque pœnitentiâ, & restitutione, nullus poterit unquam salvari. Item ostenditur quod repromissio non fuerit facta filiis Israel tantum secundum carnem, sed filiis Israelitis secundum spiritum & fidem. Item ostenditur etiam quo pacto Gentiles, qui lapidea colebant idola, fieri poterant filii Abrahamæ secundum spiritum, & fidem. Quod Paulus luculenter satis evincit in Epistola ad Romanos. Et in Epistola ad Galatas.

Quartò, docebant Judæi legisperiti, ex seniorum traditionibus præcepta negativa secundæ tabulæ, quæ incommoda proximis inferenda prohibent, homines peccato obnoxios non reddere, quamvis affectu ipsa transgrediantur, nisi effectus intercederet. Unde tametsi aliquis corde odium in proximum conceptum gereret, vel impudicam libidinem accensam visceribus aleret, vel furti votum deliberata voluntate cordi inhaeresceret, nullo pacto hominem hoc vitium habentem reum alicujus culpæ esse dicebant, neque legis prævaricatorem pronunciabant, ob idque nec peccatum commisisse, quoad usque propositum iræ in læsionem aut homicidium prodiiisset, libidinis fomentum, adulterium vel fornicationem protulisset, furtique votum in rapinam evaderet. Cujus opinionis fuit etiam Josephus, prout constat ex cap. 13. lib. 12. de Antiquitatibus. Verum ad hanc vanam & insulsam legique adversantem & Prophetis sententiam refellendam unius Isaïæ Prophetæ testimonium in medium proferre suf-

suffecerit, qui cap. 15. suorum vaticiniorum dixit: *Dere-
linquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes
suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* Sed
est etiam Jeremias qui cap. 21. ait: *Propter malitiam co-
gitationum vestrarum, forsitan egredietur ut ignis indigna-
tio mea, & succendetur, & non erit qui extinguat.* Idem
Jerem. cap. 4. consulebat Judæis, ut lavarent à malitia
corda sua. Joel etiam consulebat suis auditoribus ex per-
sona Dei: *Convertimini ad me in toto corde vestro,* cap. 2.
Dominus autem Isaïæ I. valdè conqueritur, quod popu-
lus Israeliticus labiorum verba tantum haberet speciosa
& pulchra, ceterum corda sordida, & à se remotissima.
Quæ testimonia convincunt traditionem illam seniorum
vehementer propheticis vaticiniis adversari. Proinde Chris-
tus ipsam etiam perinde atque alias, ut falsam & hareticam
confutatam nobis reliquit. Qui ut refert Matth. 5.
cap. dixit discipulis suis: *Nisi abundaverit justitia ves-
tra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis
in Regnum Calorum.* Nam non solum qui hominem occi-
derit, est reus inferni, & mortaliter peccat, sed etiam
qui irascitur fratri suo, aut cum ira odiove, vel indig-
natione fratri suo dixerit, *Racha*, quod interpretatur,
vanus, & absque cerebro, ut beatus Hieronymus docet
in secundo libro contra Pelagianos.

Unde constat falsam atque perversam esse seniorum
doctrinam quæ manum, externumque opus, non verò af-
fectum proscindebat: Christiana verò justitia non solum
manum postulat moderatam, verum etiam internum af-
fectum. Quod Christi testimonio confirmamus, qui non
solum coeuntem vocavit mœchum, sed dixit: *Quicumque
viderit mulierem, ad concupiscendum eam, jam est mœcha-
tus in corde suo.* Matthæi I. mœchum pronunciavit Chris-
tus eum qui vel sola voluntate modo deliberata, mulie-
rem concupivit. Pulcherrima similitudine inducta Baptis-
ta probavit, Christum non tantum manibus illicitas pros-
cindere actiones, verum & cordibus etiam se velle omne
alicujus rei illicitæ obstirpatum desiderium, quando di-
xit: *Jam enim securis ad radicem arboris posita est, non ad*

ramos. Christus venit præcinctus pectore, Baptista renibus. Quæ quoniam doctis Concionatoribus, quid Baptista tropo illo significare voluerit, notum arbitramur, consulo prætereunda censuimus.

Quintò asserebant Pharisæi, quod dicere mendacium non erat peccatum, nisi fieret cum perjurio, puta jurando per Deum, aut per Hierusalem, aut per Cælum, aut per templum. Hanc autem falsam doctrinam Christus Salvator noster execratur, dicens: Non solum omne iuramentum illicitum, est peccatum mortale, sed etiam omne mendacium. Quia nostrum affirmare, & negare, non debet esse cum iuramento, nisi in causa necessaria, sed solum *est, est, aut non, non*, quasi dixisset, quod negando veritatem, aut affirmando mendacium, esset peccatum, licet non fiat cum iuramento.

Sextò dicebant, quod habere odio inimicum non erat peccatum, nec contra divinum præceptum, quia Deus non dicit, nisi, *diliges amicum tuum, sicut teipsum*, ut Levit. cap. 19. ergo non prohibet, quin odio habeat inimicum, & per consequens dicebant non esse peccatum. Hanc falsam doctrinam execratur Christus, dicens: Quod non solum tenemur diligere amicum, sed etiam inimicum, orando, scilicet pro eo, ut Deus convertat eum ad viam salutis. Quia licet peccatum abhorrendum & destruendum sit in homine, tamen natura est diligenda, propter Deum, ad cuius imaginem facta est, vel factus est homo.

Septimò ajebant, quod absque peccato, unusquisque poterat vindicare se de inimico, & evellere ei dentem pro dente, oculum pro oculo, &c. quia ad hoc omnis obligatur reus, ut dicitur Levit. cap. 24. Sed hanc falsam doctrinam execratur Christus Matth. cap. 5. Siquidem quamvis illud præceptum sit in foro judiciali, tamen nulli licet ultionem privata auctoritate sumere, imò unusquisque tenetur remittere injuriam proximo. Et quod plus est, percussus in una maxilla, debet alteram propter Deum præbere.

Octavò inquirunt, quod Deus non promittebat sibi,
ni-

nisi præmium temporale in terra, pro suæ legis observantia, & ideo ipsi Judæi non curabant, nec adhuc curant thesaurizare, nisi in terra. Quam doctrinam tamquam falsam execratur Christus, dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, sed in Cælo.

Nonò, in omnibus quæ Scribæ & Pharisæi faciebant, non quærebant justitiam, & munditiam conscientiæ suæ, sed tantum, ut apparerent boni coram hominibus, expectantes præmium ab hominibus in hoc sæculo tantum, non curantes de futuro sæculo. Quorum opera improbat Christus dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis, coram hominibus.*

Decimò, publicè prædicabant, quod Messias non erat venturus ad salvandum Israel, nisi prius veniret Elias Propheta prout scribitur Malachiæ cap. 4. scilicet: *Mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis.* Et ideo quando Judæi miserunt ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem Baptistam, inter cetera interrogaverunt ipsum, an esset Elias, ut Joannes cap. 1. ait. Item inter ceteras opiniones, quas populus habebat de Christo, quidam dicebant, ipsum esse Eliam, ut Matthæi cap. 26. Et ideo Scribæ & Pharisæi dicebant populo, quod Christus non erat Messias, eo quod nondum venerat Elias. Sed hoc ex eorum cæcitate procedebat, quia nesciebant vel volebant distinguere inter primum & secundum adventum. Imò putantes unum tantum futurum Messie Regis adventum, in eum errorem sunt prolapsi, ob idque hanc ignorantiam & dubitationem ab Apostolorum mentibus removit Dominus, quando tres ipsorum Apostolorum viderunt Moysen, & Eliam loquentes cum Jesu transfigurato super Monte Tabor, &c. Sed quoniam duplex erat Christi adventus, & ad duplicem effectum, primo venturus erat ad redimendum genus humanum à peccato per mortem & passionem, in quo adventu ipsum prævenit Joannes Baptista in spiritu & virtute Eliæ: iterum & in fine mundi Christus venturus est ad judicium generale, in majestate, & gloria ad judicandum, ante quem adventum venturus

est Elias ad convertendum Judæos perſicaces, &c. Scribæ & Phariſæi malitia & odio excæcati hunc adventum ultimum Chriſti de quo Malachias vaticinatus fuerat non cognoſcentes, Chriſtum negaverunt, & in hac infidelitate remaſerunt, relinquentes morbo quodam hereditatio hanc ipſam cæcitatem ſuis deſcendentibus. In qua tam obſtinati perdurant, ut & modo prius expectant Eliam, quam Meſſiam. Unde quando circumcidunt pueros in Synagoga, duas præparant ſedes, alteram ſcilicet pro Elia, quem venire credunt, & ibi, dum circumcitur puer, adeſſe. Alteram vero ſedem præparant pro Rabino actum circumciſionis exercente.

Undecimò, ipſi Judæi tenent, & aſſerunt nullum in eis eſſe peccatum naturæ, hoc eſt peccatum originale, cum ipſi ſint ex filiis Abrahæ & Iſrael ſecundum carnem. Et ideo ſe eſſe liberos ab omni peccato naturæ credunt: & non putant circumciſionem ſibi datam fuiſſe ad tollendum peccatum naturæ, quod omnes trahimus ex Adam; ſed tantum fuiſſe datam ad diſtinguendos filios Abrahæ à populo Gentili: quia ſolùm populum Gentilem putant naturaliter peccare propter Idololatriam: & ſic per circumciſionem non exiſtimant ullum peccatum ſibi dimitti, ſed per ſola ſacrificia, & oblationes, & purgationes, & lotiones, putant ſufficienter & plene juſtificari poſſe hominem ab omni peccato actuali: in propria virtute, unde inferebant, quod Meſſias in lege promiſſus, non erat liberaturus, nec redempturus Iſrael à ſervitute peccati. Quia per opera legis ſufficienter ab omni peccato credebant ſe ipſos juſtificare poſſe. Sed respondeant vellem, quomodo poſſunt à peccato nunc mundari per ſacrificium, cum ipſum facere non poſſint, niſi in templo Hieroſolymitano, quo privati ſunt jam mille & quaſi quingentis annis?

Duodecimò, inquiunt, quod Meſſias non erat daturus bona ſpiritualia, ſed tantum temporalia in illa terra: nec erat eos liberaturus à naturali ſervitute peccati, ſed ſolum à ſervitute & captivitate temporali: & ideo dicebant, quod Meſſias non futurus eſſet Deus, ſed purus ho-

ho-

homo. Et ideo Joannes cap. 8. quando Christus dixit Judæis : *Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis, responderunt : Nos semen Abraham sumus, & nemini servivimus unquam, quomodo tu dicis, liberi eritis?* quasi dicerent : Nos naturaliter liberi sumus à peccato. Quibus respondit Dominus : *Amen dico vobis, quicumque facit peccatum, servus est peccati.* Sed ut ostenderet Christus, quod licet ipsi essent filii Abraham secundum carnem, tamen propter hoc non erant à peccato immunes, nisi ipse Christus faceret eos filios Abraham secundum spiritum & promissionem, ideò subdit Christus: Scio quod filii Abraham estis, secundum carnem scilicet, sed quia estis à patre diabolo, secundum imitationem, ideo opera patris vestri, & desideria ejus vultis facere. Nam sicut ille in veritate sui creatoris, in qua creatus fuit, non stetit, sed ex invidia desideravit & proposuit me occidere, ita vos tamquam filii diaboli, desideria ejus vultis facere, & adimplere, eo quod non statis in veritate legis, pervertendo verum sensum, & intelligentiam ejus, & Prophetarum, depravando Scripturas per vestras falsas traditiones. Ex quibus superius dictis, apertè patet, quod Scribæ & Pharisei opinabantur se liberos esse per opera legis à peccatis propriis commissis, ac proinde expectabant per venturum Messiam se liberandos solum à servitute temporali corporum, non à spirituali peccati. Neque ulla bona spiritualia, sed temporalia multa sperabant sibi largienda à Messia. Quapropter eum esse Deum negabant, dicentes: *De opere bono non lapidamus te, sed de blasphemia, quia homo cum sis, te Deum facis.* Unde ipsi Scribæ & Pharisei ex hujusmodi verbis doctrinam suam hæreticam esse apertè demonstrabant, cum esset contra veritatem legis, & Prophetarum: pervertebant enim verum sensum Sacrae Paginae. Quod sic probatur: Illa doctrina est hæretica, quæ tollit Deum optimum finem legis, & Prophetarum; sed doctrina Phariseorum & Scribarum est hujusmodi: igitur est hæretica. Major patet, minor probatur. Nam illa doctrina tollebat, & negabat finem legis, negando Christum, in quem lex illa ordinabatur, tamquam in finem suum,

ut daret gratiam in præsentī, & gloriam in futuro : sed illa doctrina negat Christum Redemptorem, & Glorificatorem : ergo tollit & negat finem optimum legis, & Prophetarum. Lex enim & Prophetæ expectabant Christum Redemptorem & justificatorem, & glorificatorem, & gratificatorem, ut patet per totum discursum Prophetarum : sed doctrina Scribarum & Phariseorum negat omnia ista, & non expectat liberationem à peccato, sed solum liberationem à captivitate, & servitute temporali, nec expectat bona spiritualia, sed tantum temporalia : ergo tollit bonum & optimum finem legis, & per consequens dissipat legem, & Prophetas, quos mendaces esse demonstrat, & sic efficitur hæretica. Et ideo Salvator nos-ter totam illam doctrinam tamquam hæreticam, & blasphemam improbat, ut patet Matthæi cap. 5. 6. 7. 15. & 23. & appellat eam fermentum corruptivum legis, & Prophetarum à quo monet nos cavere, & fugere, ut Matth. Cap. 15. Et hæc fuit causa potissima, quare Scribæ & Pharisei conspiraverunt in mortem Christi, eo quia ipse Christus condemnabat, & improbat eorum doctrinam, tamquam falsam & hæreticam, ut patet in Evangeliiis nostris.

CAP. XIV.

NONNULLA DE CONCIONUM FORMA
atque partibus.

Concio omnis esse debet brevis, deinde oratione consrare dilucida & explanata : ad hæc partes habere rite ordinatas. Primum necessarium est, ut populus sine rædio, & alacriter ad sacros cœtus conveniat, atque audita memoriæ commendet facilius, haud quaquam necesse est Ecclesiasticæ conciones prolixitate vincant orationes ab Oratoribus haberi quondam in foro solitas : propterea rectè utrisque, & Concionatoribus, & Oratoribus datæ clepsydæ horarum spaciis dimetiendis. Ac
pos

possunt paucis multæ res utiles explicari. Secundum requiritur, tum propter imperitos, quorum ingens est in plebe numerus, tum ad amovendam omnem sinistri studii fraudisque suspicionem. Enimverò elaborata & aliquo modo involuta oratio, inducit auditores ad cogitandum, aliud quippiam quam ipsorum profectum quæri. Quò circa etiam si quis omni instrumento atque apparatu dicendi instructus sit, consulto tamen sic aget apud populum, quasi artis vestigia nusquam sequens, memor illius dicti, egregiam esse artem disimulare. Consequetur autem facultatem dicendi de pulpito dilucide, qui linguam vulgarem pulchrè callet, qui consuetudine purè eam sonantium aliquandiu usus fuerit, qui conciones in eadem lingua diserte docentium assueverit audire, qui libros eorum qui in illa judicantur excelluisse diligenter evolaverit. Sed reliquos omnes hic anteverret, qui naturæ quadam bonitate præditus est, atque facilitatem modestiamque in dicendo habet quasi ingenitam. Non minor est virtus aperte, simpliciter & populariter, quam doctè, argutè & graviter eloqui. Quam virtutem verè eximiam & raram necesse est omnes unipræ ceteris Chrysostomo inter Græcos consulant, quem sane optarim indesinenter omnes juniores Concionatores divina nocturnaque versarent manu, quin etiam pari felicitate & ubertate si modo fieri possit, in linguam vulgarem transfunderent. Neque pudere debebat vel eruditos homines Doctrinæ Christianæ locos nonnullos, & penè ad verbum, de Chrysostomo, qui non sine causa illustrem hanc appellationem adeptus est, aut ab aliis, sicut qui fortè inveniantur similes, mutuari. Jam tertium illud, ut nimirum concio suis constet legitimis partibus, nam quis nescit in omni oratione ceu rem præcipuam desiderari? Ne Epistola quidem de rebus familiaribus ad unum privatim scripta, ordine partium destituta esse potest: quanto magis partes concionis, quæ de rebus habetur gravissimis ad multitudinem universam, ordine collocari oportebit.

Non tam discentes quam ipsi docentes justa partium dis-

dispositione opus habent. Porrò concionis partes sunt septem. Lectio Sacræ Scripturæ, Invocatio, Exordium, propositio seu divisio, Confirmatio, Confutatio, Conclusio. Quas quomodo tractari & quando adhiberi in genere conveniat, deinceps commonstrabimus.

CAP. XV.

DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ.

Fuit sanè hic mos veteris Ecclesiæ: recitabat aliquis, cui id muneris erat delegatum, clarè & distinctè partem aliquantam ex certis Libris Sacris, mox verò alius quispiam eruditus suggestum ascendebat, quæ prælecta fuerant enarraturus. Legimus Actor. 13. cum Antiochiæ Pisidiæ Paulus cum suis comitibus Sabbato ingressus esset Synagogam, post lectionem legis & Prophetarum misisse Principes Synagogæ ad eos dicentes: *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.* Christus Luc. 4. ipse ascendit & legit, deinde sedens lecta interpretatur, magna cum omnium admiratione. Ab hac igitur laudata consuetudine Synagogæ, didicerunt Patres in primitiva Ecclesia Christi institutione informati lectores in singulis Ecclesiis, qui Sacros Libros publicè recitarent, ordinare. Nunc verò plerumque Scripturas idem initio concionis recitat, qui & explanat. Quod quidem tum maximè convenit fieri, cum integrum Librum Sacrum exponendum quis suscipit. Atqui diebus Dominicis, sæpe etiam alii Epistolam vel Evangelicam historiam, quæ venit enarranda, in publico prælegunt. Ceterum ubi pro re enata concio instituitur, non solet sacra lectio præire, verum is qui docet, aut paucula tantum verba, sive thema quoddam libere ex Scripturis eligit, quod nimirum arbitratur instituto convenire, aut nullius omnino loci è Scripturis mentionem faciens statim dicere incipit, quorum illud à veteribus per raro factitatum, istud frequentissimè. Prioris generis exempla sunt hæc. Naziancenus

in concione ad subditos timore percussos propter iram Imperatoris , usurpat verba ex Jerem. 4. *Viscera mea, & interiora mea doleo, atque præcordia pectoris mei, tumultuatur intra me cor meum.* Idem de Sancto Paschate habiturus orationem præmittit ex Habacuc 2. *Super custodiam meam stabo.* Chrysostomus disserens de perturbata Repub. Antiochena, item de reditu suo ab exilio, sepiusculè inculcat in initio illud Job : *Benedictus Deus.* Basilii populum adhortari cupiens ad placandum Deum iratum, ex Amos 3. hæc verba profert: *Leo rugiit, & quis non timebit? Dominus Deus locutus est, & quis non prophetabit?* Rursus ubi ad jejunium invitat: *Canite tuba in Syon, in insigni Dei solemnitatis vestra,* ex Psalm. 81. & Joelis 2.

Posterioris generis, id est, ubi nulla præmittuntur Sacræ Scripturæ verba, sunt exempla apud illos creberrima. Jam illud his addamus. Videndum etiam atque etiam Concionatori, ut cum lingua patria sacram lectionem de suggesto recitat, versione utatur quam fieri potest lectissima, probatissimaque & vulgo ipsi nota atque usurpata. Enim verò propria & accurata versio tantam adfert rebus lucem, ut commentarii vice haberi mereatur. Neque verò in illa Concionator aliquid temere novabit, idque ne dum à doctis adfectate & curiose, ab indoctis ineptè loqui credetur, multorum offensionem in se concitet. Spiridion Episcopus Cyprius in consessu multorum Episcoporum, in conspectu plebis universæ ausus est increpare Triphilum Ledrensem Episcopum, qui colloquii supercilio tumidus, cum ad verba illa venisset Historiæ Evangelicæ, *Tolle grabatum, id est lectum tuum, & ambula,* pro voce grabatum aliam reposuit, veluti splendidiorem, quæ significat *cubile.* Tu verò inquit Spiridion, melior es illo qui *grabatum* dixit, quia ejus uti verbis erubescis? tripartitæ historiæ, lib. 1. cap. 10. ex Sozomeno. Non dissimile est quod Augustin. Epist. 10. ad Hieron. scribens, refert Episcopum quemdam in Africâ, cum locum aliquem in Jona Propheta aliter recitaret, quam vulgata ejus temporis continebat editio, populi nova voce offensi furore periclitatum, & propemodum nisi rationem

nem se redditurum fuisset continuò pollicitus, exturbatum è sede. Quamquam rectè Concionator ille fecerit, qui quo tempore domi tacitus præmeditatur quæ dicturus sit foris, ad manum semper habeat quàm correctissima exemplaria: conferat insuper & hæc inter sese, & sicubi res postulabit, Latina cum Græcis & Hæbræis: ex his verò omnibus concinnas germanasque sententias eruat, multitudinè postea sermone vulgari proponendas. Hæc diligens, hæc honesta, ac generosa curiositas, tantum abest, ut incurrat vituperationem, ut etiam laude prosequenda ab omnibus repetatur.

CAP. XVI.

DE INVOCATIONE.

Est & invocandi ratio, uti superius monstravimus, in concionum initio nobis ab Apostolis monstrata Actor. 4. ubi Deum orant, ut det loqui cum omni fiducia sermonem. Item ubi Paulus Apostolus petit & præcipit pro se atque pro cursu verbi, orationem ad Deum fieri. Ac veteres quidem ante Exordium orabant, quod Augustinus discretè testatur de Doctrina Christiana, lib. 4. cap. 1. Concionator autem poscebat (quod Augustinus non obscure innuit) sibi dari spiritum ad sinceriter ac liberè docendum, deinde ut auditores rectè cuncta perciperent, atque ad vitæ spiritualis institutionem converterent. Auditores verò vicissim & pro Ecclesiaste & pro se in eandem precabantur sententiam.

Nunc verò in quibusdam Ecclesiis videmus precationem Exordio statim subjici. Quæcumque autem Ecclesiarum consuetudo fuerit, decet invocationem esse brevem, puram, atque ad auxilium Spiritus Sancti implorandum, quo is dignetur tum Doctoris, tum auditorum mentes informare, directam, Virginis intercessione etiam adhibita.

CAP. XVII.

DE EXORDIO.

EXordia in hoc dicendi genere sunt admodum libera. Quamobrem in ipsis exemplis concionum quas Prophetæ, Christus, Apostoli, & Sancti Patres ediderunt, monstrari potiùs potest commoda exordiendi ratio, quam præceptionibus comprehendì. Neque semper necessum est ita instrui sacrarum concionum principia, ut auditores attentos, dociles, benevolos reddamus: res ipsæ enim eos quibus de agitur per sese possunt ac debent tales auditores efficere. Nec fere quisquam ad templum pedem confert, nisi qui jam persuasum habet se auditurum quæ meritò avidè discat, nec non utiliter percipiat. Iraque ipsæ rerum circumstantiæ & causæ incidentes subministrant modò hanc, modò illam Exordii materiam. Quædam intereà pro diversitate argumentorum quæ tractantur observanda in genere annotabimus. Quando ad populum explicatur liber integer, sæpenumerò adhibentur exordia è transitione. Chrysostomus in Genesim homil. 16. Satis opinor, inquit, pro nostra virili heri locum de ligno interpretantes enarravimus. Docuimus enim charitatem vestram quare Divina Scriptura lignum cognitivum boni & mali vocet: proinde hodie animus est ad sequentia pergere, ut discatis ineffabilem Dei misericordiam, & quanta sermonis attemperatione usus sit, nostræ naturæ providentiam & curam habens. Homilia 17. orditur à repetitione seu enumeratione earum rerum quæ die præcedenti fuerant expositæ, monetque auditores, quo eos ad fructum spirituales convertat. Crebrò utitur similitudinibus, de apponendis lautitiis conviviorum, de corporum ægritationibus depellendis, atque ejus generis pluribus, declarans interim in rebus spiritualibus & refectione atque cura animorum, eadem omnia consideranda observandaque, quæ fieri in rebus corporalibus, sive in conser-

vatione corporum solent. Homilia quinta & sexta, statim in initio reprehendit, acriterque objurgat, eos qui cursitabant ad spectaculum ludi equestris in theatro, sacras autem conciones negligebant. Homiliam nonam iterum ab objurgatione orditur, cum perpaucos videret ad locum sacrum adventasse. Porrò homiliis 12. & 14. laudat eos, imò posterior agit etiam gratias, quod alacriter ad audiendam rerum divinarum interpretationem convenirent, sperare enim se non mediocrem fructum spiritualem secuturum.

Hæc verò idcirco à nobis commemorata sunt, quo omnes intelligerent, tum quoque cum liber integer explicatur, liberum esse pro circumstantiarum & causarum incidentium ratione, exordia variis modis parare. Admodum verò familiare est Chrysostomo Exordii propositiōnem statim comprobare, vel exponere, vel illustrare aliqua similitudine, aut comparatione: deinde verò subjicere nonnulla quibus, aut attentos, aut benevolos auditores reddat. Etenim in conciliandis excitandisque auditorum animis, & diligens est, & mirus artifex. Ceterum si tanta est libertas Exordiorum in explicatione totius libri, promptum est judicare non minùs liberè posse illos agere, qui partem sive fragmentum libri enarrandum suscipiunt. Frequenter verò in hisce concionibus de parte libri institutis ducuntur exordia à commendatione auctoris, ex quo lectio recitata fuit. Nonnumquam ab utilitate doctrinæ, quæ in eadem lectione præcipua eminet. Aliquando verò ex lectione audita unus aliquis locus paucis verbis initio sermonis repetitur, ille præsertim de quo constitutum est fusiùs disserere. Exempla quædam adnotabimus. Chrysostomus in quadam homilia ad populum Antiochenum expositurus locum ad Timotheum: *Vino modico utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates*, à dignitate Apostoli facit dicendi initium, eundemque cum tuba & lyra comparat. Idem interpretans Psalm. 122. post recitatum Psalmi initium: *Ad te levavi oculos meos*, statim orditur sermonem ab eo quod utile sit premi adversitatibus. Homilia autem 68. repetit initio hæc verba ex prioris ad

Thessal. cap. 5. *Semper gaudete*, beatus inquit Paulus dilectissimi, *sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei.* Et mox addit: Semper gratias agere est animæ sapienter institutæ: passus es aliquid mali, sed si velis, non est malum: gratias age Deo, & malum in bonum fuerit transmutatum.

Receptum insuper est à circumstantiis, à causis, à similitudinibus, aliisve locis duci principia. Sic Chrysostomus expositurus Historiam Evangelicam de muliere Cananæ, incipit à laude diligentia ac constantia auditorum. At historiam autem de Elia subvecto in Cælum curru igneo, orditur à similitudine sumpta de more, quo Reges solent periclitatos in bello donare curru, aut aliis regiis insignibus honestare; unde colligit Deum quoque eodem pacto fidum suum ministrum Eliam voluisse curru ornare, atque in Cælum subvehere. Naziancenus ad Evangelium quod initio cap. 18. apud Matthæum legitur, concionari incipit de diligentia & labore Christi in pertrahendis ad fidem hominibus. Sed nihil attinet plura hic dicere. Postremo autem, quando oratio instituitur de argumento pro temporis occasione oblato, licet quidem ex variis rebus atque locis ducere Exordium: sed tamen accommodatissima & plurimum usitata est hæc ratio, qua statim initio aperitur, de quo negotio in animo sit habere orationem. Quantum fieri potest, debent primæ Exordii verba respondere ipsi materiæ, quam tractandam delegeris, atque illa ipsa, vel sumpta ex aliquo Scripturæ loco, vel simpliciter genus negotii exprimentia. Ex Scripturis sumpta sunt illa initia. Apud Naziancenum in concione ad subditos timore percussos, & Imperatorem irascentem, ex Jeremiæ 4. *Viscera mea, & interiora mea doleo, &c.* Apud Basilium cum de jejunio disserere instituit ex Joelis 2. *Glangite tuba in Syon in insigni die solemnitatis vestra, &c.* nos paulò ante commemoravimus. Ubi argumentum seu propositio explicatur verbis simplicibus, nullo Scripturæ loco adhibito, plura invenias exordia apud Chrysostomum, Naziancenum, aliosque. Naziancenus sermonem ad eos qui classe adven-

rant ex Ægypto, sic orditur: Ad eos qui ab Ægypto sunt, loquar. Quamvis nondum ibi aperit quod argumentum sit tractaturus, disserit autem postea de Mysterio Trinitatis. Sed quando ad illos dixit sermonem se velle facere qui veniebant ab Ecclesia Alexandrina, quam Athanasius, deinde Petrus Episcopi sano dogmate Trinitatis rectè imbuerant, atque illi Constantinopolim venientes se recipiebant ad Ecclesiam, in qua tunc docebat Gregorius strenuus Trinitatis & unius substantiæ in eadem assertor, facilè intelligere auditores poterant Gregorium ea occasione dicturum de fidei consensu in confessione Trinitatis. Idem verba facturus de habenda cura pauperum: Viri fratres & commendici, omnes enim pauperes sumus, ac divinæ gratiæ indigui, tametsi alius alium præcedere videatur, si mensuris metitus fueris parvis, hunc de pauperum amore sermonem suscipite. Sunt alias in hoc concionum genere perquam libera, ut diximus, exordia. Esaias cap. 1. reprehensurus suæ gentis vitia, præsertim hypocrisim, & neglectum veri cultus Dei, orditur ab exclamatione seu contestatione omnium creaturarum, simulque introducit Deum ipsum graviter expostulantem. Tota namque oratio ab initio inde vehemens atque ardens est. Petrus Actor. 2. redarguere volens perversum populi iudicium de miraculo linguarum, utitur loco attentionis, mox crimen objectum de ebrietate sapienter amolitur, atque ad causam de Christo servatore progreditur. Stephanus Actor. 7. & Paulus Actor. 13. cupientes negotium Evangelii exponere, de vocatione Abraham sermonis faciunt initium.

Ceterum exordia aliena à causa, & longius petita vel etiam valde prolixa nemo sanus probaverit. Et tamen aliquando in sacris Concionibus ista conditione locus iis dabitur, dum ad ædificationem aliquam Ecclesiæ & pro temporum personarumque commoditate sint comparata, ac dextrè pertractentur. Tunc verò potissimum admittentur, quando populo quædam proponenda sunt, quæ in subsequens enarratione non satis aptè admiscerentur, vel alia de causa expedire iudicatur. Talia extant quædam

exordia in Homiliis Chrysostomi in Librum Geneseos, in quibus Exordiis hortatur, objurgat, vel simile quippiam quasi de improvviso facit. Tale quoque Exordium videtur usurpasse Paulus Actor. 17. ubi incipit à reprehensione superstitionis Atheniensium, & ab ara ignoti Dei. Transit deinde ad annuntiandum Christum verum Deum omnibus cognoscendum. Neque hoc prætereundum, aliquando Exordium prætermitti, statimque proferri propositionem vel divisionem. Chrysostomus in concione de tribus pueris: Trium (inquit) puerorum sermo tractabitur, quorum fides quali laude intonet gloriæ salutis flammæ testatur. Item homilia 33. ad populum Antiochenum: Eja charissimi prius dicta repetamus, & hodie ostendamus quomodo elemosyna sit ars, & omnium artium quæstuosissima. Fit autem istud, aut ubi conciones aliqua proximè præcesserunt, in quibus populus satis superque attentus est redditus, aut quando temporis angustia non paritur sermonem protrahi, aut forte eo loco, vel die dicendum est, quo perpauci ad audienda sacra confluunt.

CAP. XVIII.

DE DIVISIONE, SEU PROPOSITIONE.

AB exordio descenditur ad divisionem, seu propositionem. Itaque cum de uno tantum negotio animus est tota concione dicere, satis fuerit propositione rem complecti. Sin de pluribus instituitur oratio, divisio adhibetur, membra omnia de quibus ordine sumus dicturi, continens. Ac propositio quidem aliquando ponitur initio exordii, quod paulò ante admonuimus plurimum fieri in Concionibus quæ de re per occasionem oblata habentur, frequentissime verò exordio subjicitur. Exemplum prioris apud Chrysostomum Homilia 38. cui titulus est de humilitate & quiete: Ne altum sapiamus inquit, ò homines, nec inflemur; cum terra simus, & cinis, fumus, & umbra. Exempla posterioris generis extant apud

eumdem passim multa, Homilia 19. ad agricolas & de vitando juramento, post prolixum exordium, in quo commendatur vitæ rusticanae simplicitas, rursus inquit de juramenti sermones moveamus, ut radicitus ex omnium mentibus improba hæc consuetudo evellatur. Item Homilia 55. quæ habita est contra deditos luxuû & voluptatibus. Dicam quot molestias & tristitias habeant delitiis inhærentes. Ceterum divisionis exemplum cum primis elegans occurrit in oratione Nazianceni habita in funere fratris sui Casarii: Primum legem lugendi defunctos observari solitam aliquantum delibabimus, ita ut & lachrymas profundamus, obiter tamen admiremur, deinde humanam ostendimus imbecillitatem, & de animi dignitate faciemus verba. Postremò debitam moerentibus adhibebimus consolationem, doloremque à carnè ac à temporalibus ad spiritualia & æterna transferemus. Debet autem omnis divisio esse brevis, ordinata ac dilucida, id est non erunt multa membra, (vix inquam plura quam tria) deinde ritè prout exostulat rerum natura, collocabuntur. Postremò verbis minime obscuris decet omnia exprimi. At tum quoque censetur necessaria, quando in animo habemus plures distinctosque locos pro concione excutere, vel etiam quando unus aliquis locus incidit tractandus, cujus obscuritati ac difficultati operæpretium est facta partitione lucem aliquam inferre. Enimverò partitio, cum propter ordinem rectum in dispositione partium, seu propter docendi methodum, tum etiam illustrandi causa, imò verò & ad memoriam juvandam meritò adhibetur. Adnotandum interea, divisionem interdum aliquam in exordio vel post exordium commemorari, de cujus tamen singulis membris non est propositum disserere, sed tantum de uno vel duobus verba fiunt, Naziancenus in oratione de sancto lavacro post locum attentionis: Triplicem Scriptura nobis generationem ostendit, unam ex corporibus, aliam ex baptismo, tertiam ex resurrectione. Deinde post pauca: Proinde de nativitatibus duabus, prima inquam & novissima, philosophari temporis non est presentis, at de media, & quæ

nunc

nunc nobis est necessaria, quæ & luminarium dies cognominatur, jam verba faciemus. Usu venit etiam nonnumquam ut de pluribus atque diversis locis sermo fiat, neque tamen ulla usquam præeunte divisione. Atqui in hoc genere cautio hæc adhiberi solet, ut quoties ab uno loco ad alium fit progressus, quædam subjiciatur aut conclusio, aut transitio, aut novus locus attentionis, aut alia denique distinctionis nota, ex qua animadvertere auditores citra negotium queant, novum esse præ manibus locum. In Chrysostomi Concionibus non pauca tales formulæ reperiuntur. Homilia 28. inscripta de fugiendis juramentis, & quod in paupertate degentes Deo gratias agere debemus, priorem orationis partem consumit in detestatione juramentorum, tandem verò concludit, asserens, si quos deinceps deprehendat consuetudinem jurandi & pejerandi non deponere, se eos à participatione sacrorum mysteriorum exclusurum, quicumque tandem illi forent, sive divites sive pauperes. Se namque propter illos nolle in damnationis æternæ periculum incidere. Inde procedit ad posteriorem partem, de æquanimiter ferenda paupertate, dicens: Cum itaque paupertate vel morbo pressus fueris, ò homo, si non aliunde, at ex mendicantibus saltem per angiportus euntibus, Deo gratias agere discere. Itaque ex illa conclusione judicare quis poterat finem ei parti imponi. Verba autem sequentia declarabant non obscure, aliud argumentum suscipi.

In ceteris Concionibus videas transitiones, exhortationes, aliasque sententiarum figuras, quæ demonstrant ad aliud argumentum properari. Exempla sunt hujusmodi: hætenus satis multa de malis quæ gignit ira, nunc de commodis dicamus quæ proveniunt à mansuetudine. Item, age verò, videamus quàm necessaria sit patientia, vel etiam dicendum nobis non nihil est pro ratione temporis de jejuniis, quandoquidem oportune id nunc fiet, nonnulla adjicimus. Item, porro vide etiam atque etiam, ut cum sermones tui omnes, tum etiam actiones singulæ, amorem castitatis & pudicitiae spirent. Item, ubi forte præcessit sermo de castitate, recte transitus fiet ad locum
de

de sobrietate in cibo, potu, ac vestitu, hoc pacto. Atqui frustra omnis oratio de excellentia castitatis consumitur, nisi etiam attexamus quædam contra luxum in cibo, potu ac vestitu: vel sic, nunc verò attentis adeste animis ad ea quæ restant dicenda contra luxum in cibo, potu, ac vestitu. Item, quando hucusque de timore Dei satis multà diximus, non dubito quin vobis pergratum sit futurum charissimi fratres, si disseramus de patientia in adversitatibus. Quid multa? In Concionibus Prophetarum, in quibusdam Paulinis Epistolis, in plurimis Homiliis Chrysostomi, aliorumque Sanctorum Patrum, haud difficile est ejusmodi formulas transitionum observare. Solent verò ipsi Concionatores nonnumquam silentio aliquanto interposito, sive mora quadam, aut alia ratione simili innuere se ad alium pergere locum velle. Aliquando verò, præcipuè autem cum liber integer perpetua enarratione explicatur populo; neque propositio, neque divisio ulla prorsus præmittitur, sed finito exordio, paucula quædam verba de contextu libri sacri recitantur, ex quibus mox doctrina aliqua spiritualis eruitur, eademque breviter pro auditorum captu enarratur. Inde autem mox transitus fit ad verba sacra sequentia, ubi similiter unus aut alter locus annotatur adhibita exhortatione ad multitudinem, ut commendet memoriæ, atque singuli privatim ad vitæ institutionem emendationemque convertere laborent. Apud Chrysostomum varia invenias exempla, Homilia 13. in Genesim post exordium: Videamus itaque nunc quid doceat nos beatus ille Moses non sua lingua hæc dicens, sed à Spiritu Sancto afflatus: *Et accepit Dominus Deus hominem quem formavit.* Ubi ex duabus illis vocibus, Dominus, & Deus, argutè colligit confutationem hæreticorum, qui filium minorem patre contendebant. Quæ doctrina tunc propter Arianos peropportunè proferebatur, nunc verò, quando ea hæresis extincta est, non perinde locum haberet. Mox prosequitur contextum: *Et posuit eum in horto voluptatis.* In quibus verbis admonet observari, quanta sit Dei erga genus humanum misericordia, cura, providentia. Deinde quia in contextu sequi-

tur:

tur: *Ut coleret & custodiret illum*, breviter subjicit, ibi nos discere, quam sit periculosa res otium, atque propterea homini semper operis aliquid faciendum. Eadem via deinceps progreditur, tum in illa, tum in multis aliis Concionibus. Quæ ratio advertitur subinde observata, in iis quoque sermonibus, qui in explicatione partis alicujus libri consumuntur, maximè verò quando habentur sermones ad multitudinem, cui permixti sunt nonnulli eruditi, vel qui diligenter audire Scripturarum enarrationem assueverint. Quod intelligere potest quisquis Homilias Sanctorum Patrum, Chrysostomi, Augustini, Gregorii, Leonis, Maximi, quibus Evangelicæ historiæ diebus Dominicis recitari solitæ explicantur, non oscitanter perlegerit.

CAP. XIX.

*QUA RATIONE UNAMQUAMQUE
concionem in locos certos aptè possimus
distribuere.*

Ceterùm quoniam, sive divisio aliqua præmittatur, sive nulla, multis tamen de causis utile, imò per necessarium est, ut concio quæcumque in aliquos certos locos sive partes distribuatur, idque ante fieri quam veniatur ad confirmationem oportet: equidem arbitror operæ me facturum pretium, si quomodo loci præcipui, & Ecclesiis cum primis utiles ex Scripturis quæ enarrandæ veniunt excerpti, atque pro auditorum ratione partes concionum aptè distingui queant, in præsentia demonstraro. Est autem in hac parte singularis ponenda diligentia, quoniam locorum distributio veluti basis est, cui reliqua universæ concionis structura innititur. Neque enim rectè potes progredi, nisi certos adnotaris locos, in quorum explicatione commoraberis.

Quo autem facilius omnia percipiantur, quæ huc pertinent, visum est ea aliquot regulis complecti.

I. Regula. Loci omnes, quos eligi pro concione explicandos convenit, quintuplices inveniuntur, juxta Apostoli Pauli traditionem: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est, inquit, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus.* 2. Timot. 3. Item ad Rom. 15. *Quæcumque præscripta sunt, in nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Quibus verbis Apostolus perspicuè demonstrat, quomodo ex lectione Scripturarum colligere debeamus, primò quæ ad doctrinam, sive ad cognitionem dogmatum: secundò quæ ad vitam, seu mores formandos: postremò, quæ ad consolationes, (quando fortassis contingat ob doctrinam vel vitam molestas tentationes oboriri) conducunt. Significat autem juxta Apostoli mentem, *doctrina*, verorum dogmatum confirmationem. *Redargutio*, falsorum dogmatum confutationem, quibus duabus partibus fides plene instituitur. *Institutio* verò in justitia, significat rectam vitam ac morum informationem. *Correctio*, vitiorum ac malorum morum reprehensionem, ac complectuntur hæc duæ partes omnia officia charitatis. *Consolatio* denique significat exhortationem ad perseverantiam, tam in sana doctrina, quam in sanctis moribus, atque hac parte spes erigitur. Itaque vides hæc capita ita esse digesta, ut omnia ad perfectionem hominis Christiani necessaria, in iis plenissimè contineantur. Ergo ad ea ipsa quinque capita omnes loci qui utiliter proponuntur in Ecclesia possunt ac debent referri, atque alios quidem locos parabis ad sana dogmata confirmanda, alios ad falsa dogmata confutanda, alios ad hominum vitam sanctè instituendam, alios ad reprehensionem vitiorum, alios denique ad eorum qui animis anguntur consolationem. Atque hujusmodi plane sunt omnes loci, quos ubi de concionum materia agebamus, adnotavimus. Consarcinant nonnulli etiam allegorias, præsertim ex Sacris Historiis: sed enim quando ipsarum allegoariarum interpretatio omnis dirigi semper ad ea capita, quæ jam jam commemoravimus, debet,

nihil de allegoriis putamus hic separatim dicendum, nec ego tyroni auctor esse velim, ut in effingendis allegoriis multum se fatiget.

II. Regula. Eligantur autem loci communes fusius ad populum explicandi, non plures quàm duo, vel tres. Quod facere expedit, quo auditores etiam rudes omnia facilius percipiant, necnon reversi domum, utcumque valeant memoria repetere quæ didicerunt. Videmus autem Chrysostomum atque alios Sanctos Patres, imò Prophetas ipsos, crebro in hunc modum in duobus aut tribus locis communibus conciones suas consumere. Isaias in prima sua concione invehitur in duo genera vitiorum, nimirum in idololatriam seu corruptum Dei cultum, qua parte perstringit Ecclesiasticos. Deinde iniqua fori iudicia, ubi impetit magistratus politicos, atque ita ob gravissima hæc peccata comminatur, ac prædicit diras pœnas secuturas. Apud Chrysostomum legis conciones de humilitate, & contemptu rerum terrenarum, de pœnitentia, & quod non sit desperandum, seu de fide. Item de ira & mansuetudine, de agnitione peccatorum ac Dei iudicio, de timendo Dei iudicio, atque de Deo diligendo, de fugiendis juramentis, & æquanimiter ferenda paupertate. Neque id tantum fit in Concionibus quæ instituuntur de argumentis pro temporis ratione oblati, verumetiam in quibus explicatur Sacræ Scripturæ lectio. Idem namque Chrysostomus Homilia 60. in Matthæi ad verba illa: *Vae mundo à scandalis, necesse enim est venire scandala, &c.* in duos locos seu partes distribuit, ac priorè quidem disserit (graviter sane & tamen populariter summoque artificio) de causa peccati. Posteriorè, propter verba illa: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis,* de non contemnendis fratribus, unde sub finem dilabitur ad locum de cura, qua parentes cavere debent, ne liberum turpibus assuescant.

III. Regula. Quod si omnino plures locos placet in medium adferre, quemadmodum interdum præsens Scripturæ lectio plures eisdemque utiles subministrat, tamen in duobus aut tribus explanandis majori fide ac diligentia

laborabis, ceteros autem satis fuerit succinctè & quasi in transcurso attingere. Qua ratione Chrysostomium in superiore Homilia 60. perveniens ad verba illa in contextu: *Dico vobis quod Angeli eorum in Cælis semper vident faciem patris mei*, prudenter colligit adnotatque dogma, singulis nimirum hominibus Angelos aliquos custodes inspectoresve datos. Verùm quam paucissimis locum hunc absolvit, continuò ad reliqua, ceu magis utilia, & vitæ formandæ apta, contendens. Aggreditur namque locum de non contemnendis fratribus.

IV. Regula. Deligantur loci qui satis late patent, quique nihil intricatum continent, quo possis effuse, & planè, & populariter verba ad auditores facere. Enimverò sunt quædam materiæ steriles, & quasi in angustos contractæ carceres, eademque perplexis quæstionibus obscuratæ. Si quæ igitur in sacro scripto quod enarratur tales incidunt, præstat silentio tegere seu dissimulare, quàm pluribus verbis excutere. Hujus generis est, si quis explanans ex Luc. 16. historiam de divite sepulto in inferno, & Lazaro deportato in sinum Abrahæ, conetur diu multumque detinere auditorium plurima adferendo in medium de sinu Abrahæ, de quo cum admodum variæ sint interpretum etiam doctissimorumque sententiæ, pauca certa & frugifera dici posunt, cum intereà in eadem historia plures utiles locos, veluti contra luxum in cibo ac vestitu, contra avaritiam, de ferenda paupertate, de non contemnendis pauperibus, de eleemosyna, de Dei misericordia ac justitia, de præmiis bonorum, & suppliciiis malorum tractare salubriter liceat. In summa prætermittentur cuncti loci, qui periculosas quæstiones, vel dissensiones apud plebem pariunt, vel quacumque ratione scrupos injiciunt bonorum conscientiiis, vel denique utilitatem exiguam adferunt.

V. Regula. Ex locis autem plurimis qui utiles sunt, lateque patent, hi præ ceteris deligentur excutiendi, qui loco atque tempori sunt accommodi. Incidunt verbi causa, in Evangelica Historia loci continententes dogmata, eademque fortassis de rebus paulò sublimioribus, prætereà loci

alii quibus reprehenduntur vitia , & forte ea ipsa , quibus præsentī tempore multitudo infecta cognoscitur , vel alii loci vitam ac mores hominum instituentes : hic sanè prudentis Concionatoris munus erit , locos illos omittere , qui monstrant dogmata fidei , atque se ad eos convertere qui tradunt officia charitatis , quibus corriguntur vitia , atque corrupti mores emendantur , præsertim cum multitudo illius doctrinæ minus est capax , hujus verò etiam valde egens. Sit satis semel in genere adnotare , locos de dogmatibus , in primis paulo gravioribus , non esse pertractandos , nisi apud multitudinem in qua permixti sunt plerique eruditi , qualem cernere licet in amplis civitatibus , ac tum potissimum , quando hæreses vel errores ulli serpunt , quos dogmatibus illis dilucidius expositis expedit refellere , de hinc ea perspicuitate , ut non solum docti , verùm etiam litterarum rudes , queant assequi. Quo quidem pacto Chrysostomus multos locos etiam arduos , mira prudentia ac dexteritate excutit , veluti de causa peccati. Homil. 60. in Matth. de pari substantia ac dignitate singularum personarum in Divina Trinitate in diversis Concionibus propter ejus sæculi Arianos. Nazianenus idem ostendit consilium in pluribus orationibus , ex locis aut qui ad vitæ institutionem in justitia , vel ad correctionem sunt comparati , semper ii ante alios explicabuntur , qui de præsentibus concionantur moribus atque Ecclesiæ statu. Qua de re non nihil à nobis dictum est , cum de concionum materia disserebamus.

VI. Regula. Quisquis autem volet locos communes aptè digerere , necessum est ante omnia rectè intelligat simplicem verborum Sacræ Scripturæ sententiam. Deinde singula percurrens lectionis recitatæ membra atque paulum ad ea subsistens , cogitet secumque reputet : ecquid ex iisdem verbis decerpi queat , vel ad doctrinam , hoc est , confirmationem verorum dogmatum , vel ad redargutionem dogmatum falsorum , vel ad institutionem vitæ in justitia , vel ad correctionem vitæ injustæ actæ , vel postremò ad consolationem profuturum. Nam hæc quinque capita oportet animis perpetuò observari , utpotè ad
quæ

quæ tamquam scopum præstitutum, omnia quæ utiliter depromuntur referri debent. Neque verò fieri potest, quin verba in contextu sacre lectionis accuratè expensa, aliquid his capitibus subministrent.

Sed libet exemplum subjicere in quo regularum quas hactenus tradidimus usus declarabitur. Sumemus autem in manus Historiam Evangelicam, idque propterea quod sæpenumerò difficilius est locos communes idoneos decerpere ex historia, quam ex Concionibus vel exhortationibus sacris, in quibus dogmata religionis ac fidei nostræ, aut præcepta de moribus officiisque charitatis apertè descripta leguntur. Superiori igitur die festo recitata est in sacro cœtu historia ex Marci cap. 8. quæ sic habet: *Cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, &c.* Colligam autem locos plures ac varios, quo nimirum viam utcumque demonstrarem, qua sit eundem: postea indicabo quinam ex pluribus tractandi apud multitudine nem rectè seligentur.

I. Primum igitur quando narratur admodum multam turbam confluisse, ad audiendos Christi sermones, statim sese hic offert *institutio*, qua admonemur ut magno studio expetamus cognitionem verbi Dei, in quo voluntas Dei omnis apertissimè exponitur.

II. Deinde *correctio* seu reprehensio illorum, qui ad ea quæ salutis sunt animorum supra modum inveniuntur segnes, vixque semel intra multos dies de audienda salutari doctrina Scripturarum cogitant.

III. Quia verò additur, turbam non habuisse quod manducaret, argumento sanè est, auditoribus illis magis curæ fuisse quæ mentis sunt, quam quæ dentis, seu ventris, atque spiritualia bona ardentius expetivisse, quam temporalia. Quo circa hic quoque novum locum observo, qui pertinet ad *institutionem*, vel etiam *dogma*, nimirum semper primo loco animum adjicere nos debere ad bona spiritualia, posteriore autem loco ad corporalia, juxta sententiam Math. 6. Christus, *primum querite*, inquit, *Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Quin etiam in quotidiana precatione idem docuit

nos : primum postulare à Patre cælesti sanctificationem sui nominis , ampliacionem spiritualis Regni , studium perficiendæ voluntatis : ejus postea verò panem nostrum cum ceteris vitæ necessariis.

IV. Rursus autem *correctio* intelligitur hic subesse, quoniam reprehenduntur , qui magis sunt intenti rebus terrenis & caducis , quam cælestibus & æternis. Sequitur in contextu : Accersitis ad se Jesus discipulis suis ait illis : *Misericordia tangor erga turbam , quia jam triduo manent apud me , nec habent quod edant.* Dogmata aliquod hic adnotabimus.

V. Primum , de Dei misericordia & providentia , qua ipse numquam deponit nostri curam , ante etiam quam petamus : novit ille quibus rebus nobis opus sit , atque dispicit , quomodo rebus nostris consulat , quod Christus etiam Matth. 6. dissertè expressit.

VI. Secundum dogma , Deus providet nobis non tantùm spiritualia , & generatim atque universe omnibus , sed etiam corporalia & sigilatim unicuique.

VII. Tertium dogma. Illis præ omnibus Deus vult prospectum qui apud ipsum diutius manent , hoc est , qui sanam doctrinam studiose amplectuntur , atque in ejusdem amore & confessione perseverant , omnem spem ac fiduciam unum in Deum conjicientes.

VIII. Ex his verò dogmatibus nascitur certa & incomparabilis *consolatio* , quam decet piis perpetuo ante oculos esse positam. Qui apud Deum manent , atque toti ex Deo pendent , numquam ab eo destituuntur. Priùs Deus plueret manna de Cælo , quod olim fecit in gratiam Israelitarum , vel Angelum mitteret qui aquam & panem ministraret , ut quondam profugo Eliæ , quam vel unum ex pusillo grege piorum pateretur inopia perire. Multò pluris facit Deus homines pios , quam corvos aut passeris. Matth. 6. Psalm. 147. Additur deinde in Evangelio : *Et si dimisero eos jejunos in domum suam , deficient in via. Quidam enim ex eis è longinquo venerunt.* In quibus verbis pariter dogma & institutiones advertimus.

IX. Dogma quidem , quod miseri mortales , si Deus

ipsum deserat, non possunt subsistere, neque in ipsorum industria vel viribus est positum, ut sibi acquirant vel bona corporalia, arumnosæ vitæ sustentandæ necessaria, quanto verò minus parare queant spiritualia? Ubi Deus manum semel retrahit, de nobis protinus actum est, quod testatur Psal. 124. 1 27. & cet. *Institutiones* autem latent hæc.

X. Admonemur, cum sciamus nos sine Deo nihil quidquam posse, nostram ipsorum infirmitatem agnoscere.

XI. Deinde admonemur assiduè Deum orare, ne nos destituat, sed cum spiritualia tum temporalia ut expedire novit suppeditet: *Et responderunt ei discipuli sui, unde istos quis poterit hic satiare in solitudine?* Dogma sive doctrina.

XII. Non potest assequi humana ratio, quomodo vitæ nostræ necessitatibus consuli queat. Obstupescit & fallitur sapientia, quoties periculum, vel infestus aliquis casus inciderit. At interim quæ hominibus sunt impossibilia, ea non possibilia modò, verumetiam facilia sunt Deo. Quare *institutio* quoque hic colligenda est.

XIII. Debemus sanè in periculis fidem in Deum collocare, atque illius sapientiæ ac bonæ voluntati nos nostraque omnia concredere, alioquin si nostra nitimur sapientia, si præter rationes humanas nihil mente volvimus, metuendum profectò, ne in desperationem præcipites ruamus. Quo pertinet quod Matth. 16. Discipuli anxii ob neglectos panes appellantur parum fidentes.

XIV. Ex quo sequitur insuper quædam *redargutio* sive *correctio*, eorum videlicet qui si quid vident uspiam sibi deesse, vel non statim experiuntur præsens in necessitate auxilium, sic agunt per animi impotentiam, quasi Eumenides ipsos agitent, unde tandem de Dei ope prorsus desperare incipiunt. Sequitur: *Et interrogavit eos, quot panes habetis? Illi verò dixerunt, septem, & præcepit turba discumbere super terram.* Adnotemus in his verbis præter dogma etiam locum consolatorium.

XV. & XVI. Deus non patitur suos diu angere, non permit-

mittit supra vires tentari. I. Corinthi. 10. Humana quidem ratio, sive caro nostra tentationum auget cumulum, cogitque propemodum diffidere, *quis poterit*, inquit humana ratio, *istos satiare panibus in solitudine?* At vero Deus continuo ostendit paratum subsidium, quodque humanis viribus deest, ipse mirabiliter sarcit, si modo nos fidem in ipsum conijcimus, atque negotium ei universum committimus. Ne igitur de Dei bonitate umquam dubitemus, aut rebus nostris subdiffidamus, sed persuasissimum habeamus, eum nobis tempestivè, atque cum opportunum judicaverit, opitulari velle, audiamus quæ sequuntur: *Et acceptis panibus septem, cum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt, & habebant pisciculos paucos, & cum benedixisset, jussit apponi & hos:* en quando audimus Christum gratias agentem, itemque benedicentem, *institutionem* duplicem nobis propositam cernimus.

XVII. Altera, ut quotiescumque cibum aut potum accipimus, Deum precemur, ut eum verbi sui virtute sanctificet, nobisque salutarem fieri concedat.

XVIII. Altera, ut gratias semper Deo agamus pro quotidianis beneficiis, quæ nobis sua bonitate liberaliter ac gratis donat. Omnes patres familias decet domesticos docere, ne sine præeunte benedictione, & subsequente gratiarum actione edant, bibantve. Nec modò pro cibo & potu, verumetiam pro quibuscumque aliis beneficiis pari diligentia precari & gratias agere nostri esse officii statuemus.

XIX. Jam & illud *dogma* forsitan opportu nè tractes, quod nimirum Deus cibos creavit, ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem, quod item *quidquid creavit Deus bonum sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei ac precationem* I. Timoth. 4. Sequitur in contextu: *Comederunt autem & saturati sunt, ac sustulerunt quæ superfuerant fragmentorum septem sportas.* Vide institutionem.

XX. Non satis est agamus gratias, quando contingit

nos saturari, verùm vult insuper Deus, ut quæ supersint non prodigè turpiterque dissipemus, aut projiciamus contemptim, sed studiose & religiose asservemus, atque id quidem quo semper apud nos reliquum sit aliquod divinæ erga nos benevolentia testimonium, qua ille etiam largiùs quam egemus omnia suppeditat. Præterea quo sciamus Deum dare incrementum, necnon benedictionem rebus nostris addere, etiam cum non arbitramur: postremò, quo habeamus quod impartiamus ceteris indigentibus. Quidquid namque ex quotidianis sumptibus redundat, scire debemus nihil aliud quam paratam esse exercendæ pietatis materiam. Subjicitur tandem & istud: *Erant autem qui comederant fermè quater mille.*

XXI. Ergo consideranda omnibus in rebus est Dei bonitas & potentia: illa quidem qua pascit omnes, sive bonos, sive malos: hæc verò qua innumerabiles pascit paucis panibus atque tum cum summa laboratur rerum omnium penuria.

XXII. Quod autem divina sua potentia Christus hic perfecit, nobis est suspiciendum, venerandum, & celebrandum: quod verò præstitit singulari sua bonitate, nobis est etiam imitandum. Enimverò nobis incumbit de quibusvis, etiamque de hostibus bene mereri. Itaque videmus in paucis verbis, partim institutionem latere. Postrema clausula: *Et dimisit illos.* Dogma hic colligere licet de Deo, pariterque præclaram vitæ nostræ institutionem.

XXIII. Deus *dat liberaliter* & interim *non exprobrat*, non repetit paria, Jacob. 1. Non captat more hominum gloriam, non appetit populi favorem, quo Regis vel ducis dignitatem adipiscatur, sed fugit potius latere cupiens.

XXIV. Imitari igitur & nos debemus hanc bonitatem conjunctam humilitati, atque pro virili bonis operibus edendis invigilabimus, nullam gloriam, nullam mercedem ab hominibus aucupantes. Matth. 6. En igitur congestos à nobis in brevem Historiam Evangelicam, locos, ni fallor, viginti quatuor, quorum alii quidem dogmatum

confirmationem, vel redargutionem, alii verò institutionem vitæ, vel correctionem, alii denique consolationem complectuntur. Jam verò qui ad populum verba facit, ex tam multis locis rectè duos tantum, aut ad summum tres, pro ratione loci atque temporis deliget, in quibus explanandis diutiùs insisteret. Itaque cui propositum est docere imperitos ac rudes, quales sunt, qui angusta oppidula & pagos incolunt, eos excipiet locos, qui auditorio maximè conveniunt atque decent. Tales autem loci sunt hi, de diligenter audiendo verbo Dei, de quærendis priùs spiritualibus bonis quàm temporalibus, contra eos qui sic inhiant rebus carnalibus, ut prorsus negligant spirituales, de precatione & gratiarum actione pro cibo ac potu, aliisque quotidianis Dei in nos beneficiis. Item si forsitan præcesserit calamitas aliqua aut periculum publicum, magno cum fructu tractabitur locus consolatorius, quod videlicet Deus non patitur suos diu angi, aut supra vires tentari, &c. Hujus generis, inquam, loci, qui exhibent institutionem vel consolationem appositè & utiliter enarrabuntur ad plebem illiteratam, cujus captui atque profectui in vita ac moribus servire universa debet Concionatoris oratio.

Ceterùm in civitatibus amplioribus, ubi frequentes habentur cœtus, in quibus permixti non pauci eruditi, & plurimi è civibus & plebe judicare de doctrina religionis sic possunt, rectè quidem discutiuntur iidem quos recensuimus loci (quæ enim doctrina pietatis intempestivè vel minus salutariter ibi tradetur, ubi omnium ordinum conveniunt homines? quamvis paulò instructiore, tam argumentorum quam dictionis, hoc est, rerum pariter & verborum supellectile) sed prætereà etiam alii qui in dogmatum confirmatione vel confutatione versantur, quales nonnullis in præcedenti Historia Evangelica reconditos ostendimus. Talis namque ille est de misericordia & providentia Dei qua res nostras ipse indesinenter curat, & nobis non tantum spiritualia, verum etiam corporalia affatim largitur, & quidem singulis necnon in negotiis quibuscumque, ut ne pilus quidem capitis præter illius

bonam voluntatem & sapientem ordinationem nobis defluat, pereatve. Matth. 10. Luc. 12. & 21. Item de infirmitate humana qua fit ut nos nostris viribus non possimus subsistere, aut nostra industria parare quæ sunt ad vivendum necessaria: ad hæc quod obstupescit humana sapientia in quibuscumque difficultatibus. In summa, Concionator debet hac in parte singulari prudentia atque acumine uti, quo omnibus fiat omnia, atque servet quamplurimos. 1. Corinth. 9. Apostolus Paulus ait se Corinthiis locutum ut carnalibus & infantibus in Christo, & lactis potu se hos aluisse, non cibo validiore, quod videlicet graviori doctrinæ percipiendæ essent impares, ut homines quæstui atque rebus carnalibus dediti: alii verò qui plus profecerant, haud dubiè alia docendi ratione atque gravioribus locis propositis Evangelium annuntiavit. Ad eundem igitur modum prudens Verbi Divini dispensator personarum, temporum atque locorum habita diligenti ratione, de multis locis obviis eos tantum eligeret, & quidem duos, aut ad summum tres, quos plus utilitatis allaturos in Ecclesia credit, eosdemque paulò diffusius explanabit. Ceteros vel quam parcissime attinget, vel prorsus præteribit, nam meminisse decet, si quos locos suis præsentibus intactos, se eosdem utiliter enarraturum annis sequentibus, vel etiam in concionibus brevi tempore post habendis. Nec verò decorum quoties in Ecclesia recitatur eadem sacra lectio, toties eosdem & eodem artificio locos communes exponere. Verè enim dixit quidam Poeta, & citharæcedus

Ridetur corda qui semper oberrat eadem.

Ajiciamus postremò & istud: Si decrevisti sive in enarratione libri integri, aut partis libri, sive in concione de negotiis incidentibus suscepta, unum tantum aliquem locum explicare, tamen providè feceris, si eum ipsum in partes certas distribuas. Exemplum esto, ad verba illa Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum*
qui

qui est in Calis; ad hæc inquam verba, si animus est populum exhortari ad bona opera, aptè quidem hæc divisio adjungetur. Primum exponam quam sit necessarium, bonis operibus ut insistamus: hinc quænam verè bona Deoque accepta opera dici debeant. Postremo de effectis & præmiis disseram, quæ tam in hac vita, quam post hanc vitam ex bonis operibus consequimur. Aliud exemplum: Occurrit historia Matth. 15. de Scribis & Pharisæis accusantibus Discipulos Christi: *Quod non observarent traditiones seniorum.* In hoc solo argumento qui volet orationem consumere, rectè sic eam partietur. Demonstrabimus observatione traditionum humanarum, nos ex obedientia justificari apud Deum, ac primum quidem id evincemus perspicuis sacrarum litterarum pronunciatis. Deinde etiam suffragiis atque sententiis Sanctorum Patrum prisæ Ecclesiæ. Reliquum est de confirmatione ut agamus.

CAP. XX.

DE CONFIRMATIONE.

CONFIRMATIONIS tractandæ non potest una & simplex tradi ratio. Ut enim concionum discreta sunt genera, ita confirmationes in unoquoque genere propriis argumentorum locis fulciuntur. Quo circa qui loci unicuique concionum generi maximè congruant, aliquanto post à nobis dicetur, cum ad explicandum concionum quot sint genera ventum erit. Nunc verò libet quædam in genere in confirmationibus observari digna, veluti in transcurso adnotare.

I. Sive igitur unum locum communem, sive duos, sive tres placet per omnem concionem prosequi, meminisse in primis decet, singulos certa quadam methodo explicandos venire, adeoque singulis peculiarem quamdam confirmationis rationem debere accommodari. Enimverò per se manifestum est, alia argumenta quæri necnon eadem aliter digerenda esse, quando instituitur *consolatio*,

alia verò quando astruere vel destruere *dogma*, alia quando auditores ad rem quampiam *adhortari*, alia quando vitia *reprehendere* propositum est. Itaque ad unam eandemque concionem pro locorum vel partium diversitate artificium diversum accersiri necessum est.

II. Quemcumque autem locum in manus sumpseris, vide sic eum pertractes quemadmodum præsentì rerum statui judicaveris maximè expedire. Publica nimirum consuetudo, & quotidiani mores, Ecclesiæ tranquillitas, aut perturbatio, vitia passim emergentia, forma reipublicæ, civitatis totius constitutio sæpenumerò postulant nova ut forma utaris. Videas namque è civitatibus, aliam florere aula Principis, aliam illustrari supremo totius regionis Senatu, summoque consilio, in alia nobilem esse Scholam, aliam celebrem esse emporio, in alia frequentiam nobilium ac divitum, aliam à quamplurimis incolis opificibus, aliam multos alere homines militares, (quales sunt quibus in Regnorum & Provinciarum limitibus imponuntur perpetuo militum præsidia) aliam occupari à civibus quorum maxima pars dedita est agricolationi. Denique in alia aliud hominum genus abundare ac dominari. Ergo quantum fieri dabitur, omne artificium explicandi locos communes, hominum qui adsunt moribus & ingeniis statui totius municipii accommodabitur, ita nimirum, ut exempla, similitudines, comparationes, item vitiorum reprehensiones sic parentur, quemadmodum probabile est illos optimè percepturos. Quam ad rem perficiendam prudentia quadam civili opus est.

III. Admodum verò usitatum est Chrysostomo, aliisque Sanctis Patribus, ut locum quempiam diffusius tractaturi, initio apertis verbis exponant totius negotii summam, atque dilucidius interpretentur, quo videlicet auditores omnes perspiciant, quid sibi velit, quoque tendat ea concionis pars.

IV. Aliquando etiam consilii sui reddunt rationem, atque demonstrant quam sit necessarium, vel utile, de eo ipso argumento in præsentiarum verba facere.

V. Hinc congerunt probationes aliquot præcipuas ex

sacris petitas litteris, quamque ea convenienti instituto breviter declarant, sive paratae illae sint ad comprobandum confutandumve dogma, sive ad exhortandum, sive ad consolandum, sive ad finem alium.

VI. Quod autem ad ordinem probationum attinet, praecerunt quidem Rhetores, primum locum, & postremum dandum efficacioribus, in medio verò collocandas minus firmas: atqui Sanctos Patres animadvertimus plerumque hic usos libertate, atque pro negotiorum qualitate probationes variè disposuisse. Quamobrem nos nihil praescribimus, verum admonemus tantum, ut nemo sine iudicio ullas proferat.

VII. Interdum etiam una aut altera probatio, si quae fortassis obscurior apparet, aut si quam tamquam magis firmam & illustrem cupimus altius haerere infixam animis auditorum, ea paulò plenius evidentiusque excutitur.

VIII. Inde admiscuntur similitudines undecumque, id est, ex rebus politicis, domesticis, & quotidianis hominum actionibus, imò verò à quibuscumque rebus, tum animatis, tum inanimatis corrasae, quae & lucem ingentem adferunt, & ad docendos plebejos longè sunt accommodatissimae. Paucas invenias apud Chrysostomum conciones, in quibus non fiant similitudines plures, & quidem in quacumque concionis parte obviae. Nec facile quisquam cum in hoc artificio aequaverit. Etiam si Prophetarum & Christi sermones crebitate similitudinum seu parabolarum exornatae conspiciuntur.

IX. Opportunè subjunguntur exempla quaedam, sive historiae ex Libris Sacris depromptae, in quibus demonstratur veritas, ac certitudo ejus quod inculcare maxime cupimus. Nam historiae etiam rude, hebes, & impolitum vulgus facile intelligit, & cum voluptate quadam audit.

X. Si commodum iudicatur, interdum historia aliqua adhibitis amplificationibus, vel deductis ex ea novis aliquot probationibus, magis visenda specie ante oculos statuitur. Cujus artificii quam peritus fuerit Chrysostomus,

mus,

mus, licet tum alibi, tum Homil. 19. ad agricolas, & de vitando juramento cernere, ubi historiam exponit Regis Sedechiæ, ob fidem ac jusjurandum violatum à Babylo-
niorum Rege Nebuchadnezar debellati & captivi.

XI. Post probationes atque exempla è Scripturis allata, nonnumquam rectè subjiciuntur aliæ probationes ad faciendam fidem, & ad persuadendum idoneæ, quæ ipso naturæ sensu, aut Philosophiæ seu rationis humanæ judicio, probitatem adferunt. Quod genus est, quod Chrysostomus aliique Patres subinde multa inculcant, de mundi fabrica & admirabili ejus pulchritudine, de diversis creaturis earumdemque effectis, atque ex his ipsis doctrinam multiplicem colligunt, de Dei erga nos bona voluntate, vel de officiis nostris, tum erga Deum, tum erga proximum. Item aliquando, parcè tamen, Philosophorum vel Poetarum placita atque sententiæ proferuntur. Ne verò quis, quod hic dicimus aspernetur, ceu abjectum vel suspectum, exempla hujus studii ac diligentiae habemus in Sacris Litteris proposita. Nam Christus ipse concionatur de foeno, de liliis, de passeribus, &c. atque ex iis convincit, quam insignis sit Dei in rerum omnium ornatu atque conservatione providentia. Paulus Apostolus 1. Corinth. 11. *Natura ipsa hoc vos docet, inquit, quod viro quidem si comatus fuerit probro sit, contra mulieri, si comata fuerit, gloriæ sit, eo quod coma pro velamine data sit.* Ejusdem Epistolæ 15. asserens dogma de resurrectione corporum, exempla producit de semine projecto in terram, atque novam sibi formam induente. Tum de diversitate carniùm, ubi distinguit carnem hominum, quadrupedum, piscium, volucrum, itemque corporum, quorum alia facit caelestia, alia terrestria. Idem Apostolus in Actis, cap. 17. profert hemistichion ex Poeta Arato. 1. Corinth. 15. versum ex Menandro comico. Ad Tirum cap. 1. alium versum ex Epimenide. Quamvis ab his quos constat à religione nostra fuisse alienos, testimonia petere non decet, nisi ut diximus, parcè ac rarò, & ad convincendos refractarios & durioris animi homines, præterea adhibita nonnumquam hac cautione, ut dicamus

nos id genus rationes ab humana sapientia derivatas usurpare , quo auditores pudeat suæ inscitiae , tarditatis, stuporis , incredulitatis, vel quo sciant se convinci etiam à Gentilibus , prophanis , omnium rerum spiritualium ignaris. Quod sanè à Patribus solere fieri nonnumquam observavimus. Chrysostomus Homilia 28. de fugiendis juramentis : Postquam per Scripturas , inquit , persuaderi vobis non potest, ab externis monere vos volo, hoc & Deus apud Judæos faciebat, dicens : *Ite in insulas Cathim, & Kedar , mittite , & cognoscite si mutavit gens Deos suos , qui tamen non sunt Dii.* Et ad bruta frequenter mittit, ita dicens : *Vade ad formicam piger , & ad apem ,* hoc itaque vobis ego nunc dicam : Cogitate Gentilium Philosophos , ac tum scietis, quanto simus digni supplicio, despicientes divinas leges. Ita ille. Quem quidem ad finem dictum etiam videtur ab Apostolo de Cretensibus: *Dixit quidam ex istis proprius Propheta : Cretenses semper mendaces , male bestiae , ventres pigri , testimonium hoc est verum , quam ob causam redarguito illos severiter.*

XII. Aliquoties videas fieri in media disceptatione brevem quamdam digressionem , qua vel vitia repræhenduntur, vel ad virtutem instituitur exhortatio. Quales digressiones peropportune , & cum gratia etiam non præmeditatis solent frequenter accidere.

XIII. Postremò, quod reliquum est impenditur movendis affectibus, quo quod argumenti seu loci communis à nobis tractati caput est, omnes libentius alacriusque excipiant , & ad assentiendum nobis quodammodo pertracti menti impressum perpetuo circumferant. Atque huc quidem cum perventum fuerit, ad finem properare oratio intelligitur.

Hæc igitur est communis & simplex quædam formula inveniendi , colligendi , disponendique probationes , ad explicandos locos communes in sacris concionibus idoneas, utcumque à nobis delineata , quam deprehendimus, non modo magni nominis Patribus , verum etiam Sanctis Prophetis , sæpenumerò usurpatam. Nullum prorsus redolet artificium , nihil in ea elaboratum conspicitur , natura

tamen ductū, & imperitæ multitudinis simplicitatī, si quæ alia maximè congruit. Quamobrem venit minimè contemnenda, maximè cum ut Oratorem, ita Concionatorem quoque semper deceat, suspicionem adfectati artificii, quantum potest à se amoliri. Plurimum verò ad consequendam facilem hanc rationem populariter docendi juvabimur, si veterum, & ante omnes Chrysostomi, conciones assueverimus diligenter & cum aliqua partium dijudicatione perlegere. Deinde si locos communes, in primis sententiarum atque exemplorum è Sacris Litteris collectos, omni tempore in promptu habeamus. In quorum utroque est profecto ei enixè desudandum qui desiderat aliquando cum uberi fructu spirituali populum ad pietatem in Dei Ecclesia erudire.

CAP. XXI.

DE CONFUTATIONE.

Quod si aliquando res postulat quædam ab adversariis contra nostram sententiam allata confutari, perficietur id quidem oratorio potiùs morè quam dialectico, sed tamen succinctè & rationibus perspicuis captui auditorum convenientibus. Exemplum esto hujusmodi, Chrysost. Homil. 78. cui titulus: Quod melius est injuriam pati, quam inferre, postquam dixisset, Proptereà Deus nobis præcipit injuriam pati, & agit omnia, ut nos à sæcularibus separet, & intelligere faciat, quid gloria, quid dedecus, quid jactura, quid lucrum; subjicit hanc objectionem cum adjuncta etiam mox dilutione: Sed est grave, inquis, injuriam pati & calumniam. Non est grave, non est ò homo. Quousque circa præsentia stupidus hæres? Nec enim id Deus instituisset, si nimis grave foret. Animadvertite verò: Qui fecit injuriam abiit, habens quidem pecuniam, sed & conscientiam percussam. Qui autem perfert injuriam, pecuniis quidem privatus est, sed habet fiduciam apud Deum, possessionem innumeris thesau-

sauris digniorem. Itaque diluitur objectio, opponendo le-
vi damno corporali ejus qui injuriam patitur, gravius
damnum spirituale injuriam inferentis. Paulò post ibi-
dem. Quid? ais, privatus sum omnibus meis, & jubes
tacere? Calumniam sum passus, & ferre jubes æquani-
miter? & quomodo potero? Facilimè profectò, si tan-
tum Cælum respicias, si spectes hanc pulchritudinem, &
quo te Deus suscipere promisit injuriam generosè feren-
tè: hoc ergo fac, & in Cælum respiciens, cogita quod
illic super Cherubin sedenti factus es similis. Nam ille,
& contumeliis affectus fuit, & toleravit: opprobria per-
tulit, nec ultus est: percussus, & non insurrexit, sed
è contra beneficia reddit his innumera qui talia pepe-
trabant, nosque suos esse jussit imitatores. Sumpta est hæc
dilutio à proposita spe præmii, ab exemplo ipsius Christi
& Dei, itemque ab ejusdem præcepto. Nequaquam verò
necesse est, quæ confutatione egent, in unum accumu-
lari locum, quo semel diluantur omnia, sed licet ea per
diversas totius sermonis partes spargere, ut ubicumque
per occasionem tacitè aliquid in mentem venit, quod
opponi sententiæ nostræ posse suspicamur, ibi id sine mo-
ra refellamus. Cujus observationis exempla passim videre
datur in Concionibus Prophetarum, Apostolorum, & il-
lustrium Patrum. Enimverò justas confutationes & quales
cernimus in causis forensibus apud Rhetores, tales insti-
tui in Concionibus Evangelicis, Doctorum non est con-
suetudo. Nam populo hæud consulit qui in eadem con-
cione cognoscendis multis objectionum dilutionibus one-
randum eum putat. Veruntamen si contingat aliquando
rebus Ecclesiæ ita postulantibus, orationem totam com-
parari ad redarguendum falsum dogma, vel ad corrigen-
das, abolendasve superstitiones, vel inveteratam malam
consuetudinem, tum sanè omnia ex ordine dissolvi, quæ
ad patrocinium erroris ab hominibus pertinacibus produ-
cuntur, & decorum & pernecessarium est.

Multo enim labore ac diligentia opus est ad extir-
pandas pravas opiniones quibus animi hominum aliquanto
tempore imbuti fuerint, quando multa semper astutè ex-

cogitant & comminiscuntur ad noxias opiniones suas stabilendas. Hoc autem pacto videmus confutari in Libro Salomonis qui scribitur Ecclesiastes, falsas multorum opiniones de summo bono, & Apostolus Paulus in Epistola ad Roman. cap. 5. 6. & 7. non pauca sapienter infirmat ac diluit, quæ adversarii contra doctrinam de justificatione per fidem absque operibus legis objiciebant. Ceterum utetur Concionator, omni confutandi artificio, quod ab Oratoribus præscriptum animadvertimus, ac libere quidem adhibebit, negationem, elevationem, translationem, excusationem, digressionem, regectionem, inversionem, distinctionem, absolutionem, conquestionem, investigationem formæ & materiæ argumentorum more dialectico, & quidquid est hujus generis. Nam horum omnium exempla possunt in Concionibus Prophetarum, Christi, Apostolorum commonstrari. Ponet tamen in id studium ut à confutatione semper absit sophisticæ, absit ostentatio insidiosæ subtilitatis dialecticæ atque forensis calliditatis: absit denique cavillandi cupiditas, atque id quidem ne quis te aut ludere aut circumvenire velle suspicetur, quorum alterum pudendæ est vanitatis, alterum versutæ malitiæ: pulchrè procedit disceptatio Ecclesiastica quæ veritate ac simplicitate vestita ornataque conspicitur. Quidam in confutando interdum exardescunt, atque tamquam ira perciti, in contumeliosas objurgationes, aliquoties & in execrationes Thyestæas prorumpunt, quod dum faciunt, modum omnem excedunt. Hos autem admonitos volumus, ut vehementis & concitatæ orationis excursus nitantur fræno charitatis cohibere. Minus namque offendit quamlibet acris reprehensio, si ex charitate intelligatur profecta. Hæc de ratione confutandi ad popularem intelligentiam accomodata, & cuicumque concionum generi, sive integer liber, sive pars libri enarretur, sive de negotio pro temporis ratione oblato agatur, congruente, sufficient.

CAP. XXII.

DE CONCLUSIONE.

Quælibet pars sive locus communis sua gaudet brevî conclusione : sed præterea universæ orationi apta quædam peroratio subjici debet. In hac autem, si de libro integro, vel parte libri plures loci insignes fuerint excussi, rectè præcipuorum capitum fit brevis repetitio. Si duo vel tres loci fuerint explicati, de singulis ordine revocari in memoriam possunt, etiam magis eminentes quædam probationes, nonnumquam autem iis tantum insistunt, quæ ad solum locum postremum pertinent, cujus unius doctrina & utilitas studiosè commendatur. Si verò unus aliquis locus tota concione fuerit uberius expositus, vel suscepta est concio de negotio, quod status Ecclesiæ tractari poscebat, solet tum plerumque peroratio impendi movendis affectibus, quo homines ad expectandum, vel fugiendum, ad probandum, vel improbandum, id de quo dissertatio est, excitentur : postremò aliquoties cujuscumque generis Concionibus appenduntur exhortationes, vel objurgationes ab iis locis qui ante sunt expositi prorsus remoræ. Quòd tum quidem rectè fit, cum negotia quædam incidunt, quorum admoneri populum oportet. Ita Chrysostomus alicubi in fine concionis objurgat eos, qui neglectis Concionibus sacris adibant theatrum spectaturi ludos equestres. Idem Homilia 19. in Genes. post enarratas Scripturas & brevem conclusionem delabitur ad exhortationem, in qua detestatur avaritiam, atque orat omnes, ut vacent juvandis pauperibus eleemosynasque his largiantur. Homil. 14. postquam orasset auditores, ut quæ dicta fuerant de incomparabili Dei misericordia erga genus humanum memoriæ commendarent, admonet ut quod reliquum erat quadragesimæ, niterentur cum fructu transigere, atque non à cibis modo, verùm multò magis à peccatis & maleficiis

temperare sibi studerent. Creberrime autem ille concludit simpliciter, orando, obsecrandoque, ut salutaris doctrinæ propositæ diligentem habere velint rationem, eam domum reversi repetere, interdum & aliis explicare. Denique ad vitæ emendationem totam convertere.

CAP. XXIII.

DE AMPLIFICATIONE.

Quidquid verò ad perspicuè docendum, vel etiam admonendum conducit, id omne Concionator tamquam maximè necessariam suppellectilem sibi comparabit. Itaque & argumentationes tripartitas, quinquepartitas, enthimemata, deinde schemata, atque tropos, ad hæc artificium amplificandi, movendique affectus, & quidquid tandem hujus est ordinis à Rhetoribus benè dicendi magistris traditum, sciet ad se pertinere. Ceterum de argumentationum formulis, de schematibus, ac tropis animus non est quidquam dicere, quando in eorum duntaxat gratiam nos ista congerimus, quibus illa omnia jam probe nota esse arbitramur.

At de amplificatione tamen aliquid adnotabimus, quod plerosque Sanctos Patres studiose in ea pertractanda animadvertamus versatos, quin etiam paulò aliter usurpare amplificationes, atque alia etiam profèrre argumenta, quam Oratores solent. Amplificationem namque non adhibet Concionator quo efficiat ut res major minorve quam per sese est, appareat, in quo vel maximè laborant Rhetores, cupientes videlicet auditorum judicium corrumpere atque à recto abducere; sed quo talis ac tanta ab omnibus agnoscatur, qualem & quantam agnoscipar est, quod profecto aliud nihil est quam homines aberrantes ad prudens sincerumque judicium revocare. Hinc verò judicare etiam licebit, quando amplificationis artificium opportunè adhiberi debeat. Si quando enim in eos incideris locos, de quibus probabile est auditores

non

non satis rectè judicare posse, tunc admotis amplificati-
 onibus, studebimus eo perducere illos, ut qualis &
 quanta res quæque sit, percipere valeant. Ac sæpenu-
 mero fit, ut peccata quædam quia crebro & passim, &
 impune committuntur, vulgus non tam gravia esse ducat,
 quam revera sunt, cujusmodi sunt odium proximi, con-
 tumelia, perjurium, rixæ, datum offendiculum, &c.
 De his igitur ubi continget Concionatorem disserere, non
 immerito eorundem magnitudinem, adhibitis amplifica-
 tionibus, conabitur demonstrare. Qua ratione Isaias cap.
 1. artificiose amplificat quædam peccata Judæorum, per
 comparationes & similes locos. Christus item Matth. 5.
 amplificat varia peccata, nimirum contumeliam in pro-
 ximum, concupiscentiam, perjurium, ac multò ea esse
 graviora atque plerique suspicabantur, evincit. Itaque
 Concionator prudenter observationes seu traditiones om-
 nes pharisaicas extenuabit, necnon argumentationibus quo-
 ad fieri possit necessariis, probabilibusque concludet, nullo
 pacto cum præceptis divinæ legis conferendas. Christus
 Matth. 15. Marci 7. præpostera Judæorum judicia hac in
 parte graviter redarguit. Et Paulus in Epistola ad Colos.
 miro artificio assertores observationum exagitat atque in
 contemptum adducit. Aliquando verò eximix quædam
 virtutes negliguntur, nec eo habentur loco quo dignæ
 sunt, quare amplificationes in locum quem merentur op-
 timo jure eas subvehent. Quo pacto Apostolus ad Roma-
 nos quarto, amplificat fidem Abrahæ, ex causis videlicet
 ac circumstantiis, quo nimirum omnes percipiant, non
 fuisse frigidam & levem, sed vehementem atque admi-
 rabilem fidem, qua Abraham Deo tantopere placuit,
 probatusque est. *Præter spem, inquit, sub spe credidit,*
se fore Patrem multarum gentium, juxta id quod dictum
est: Sic erit semen tuum. Ac non infirmatus fide, haud con-
sideravit suum ipsius corpus jam emortuum, cum centum
ferè natus esset annos, nec emortuam vulvam Sare, ve-
rum ad promissionem Dei non hesitabat ob incredulitatem,
sed robustus factus est fide, tribuens gloriam Deo, certa
fide concepta, quod is qui promiserat, idem potens esset &

præstare. Et quia obedivit verbo Dei, etiam imputatum est illi ad justitiam. Extat & gravis amplificatio de metuenda Dei ira illis omnibus qui Christum verum Messiam nolunt agnoscere, ad Hebr. 3. & 4. *Videte fratres, inquit, ne quando sit in ullo vestrum cor pravum, obnoxium incredulitati, ut desciscat à Deo vivente, sed exhortemini vos invicem quotidie, quod appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur seductione peccati. Christi participes facti sumus, si sanè initium substantiæ usque ad finem firmum tenuerimus, & quæ sequuntur, nam locus prolixus est.*

Ceterum utitur Concionator omni instrumento amplificandi, quod Schola oratoria suppeditat. Itaque quod ad verba quidem attinet, admiscet expolitionem, definitionem, descriptionem, distributionem, congeriem, incrementum, deinde quod ad res ipsas attinet, transfert à quæstione finita, & transit ad quæstionem infinitam seu locum communem. Excudit quantum natura argumenti patitur, causas, id est, materiam, formam efficientem, finem. Dehinc circumstantias, personam, tempus, locum, modum, instrumentum, occasionem, &c. Contingentia sive signa, quorum alia antecedentia, alia subsequenta, alia ipsi negotio adjuncta: adhuc comparationes, similitudines, contentiones, contraria, & si quæ in hoc sunt genere à Rhetoribus explicata. Sed enim mutuatur insuper Concionator multas amplificandi rationes ex ipsa Theologia, quæ locos proprios (peræque atque alia quævis disciplina) non paucos habet, ad unumquodque argumentorum genus habiles atque aptos, quemadmodum paulò post indicabimus. Quo circa qui populariter docet, crebro amplificat ab attributis Dei, veluti quod Deus scrutatur corda, quod falli nequeat: à præcepto Dei, à propositis promissionibus, à comminatione pœnarum, à vocatione, à cooptatione in Ecclesiam Dei, ab acceptis donis spiritualibus, à sententia generali in Theologia, à vaticinio prophetico, ab eo quod res sint spirituales, à tempore legis, à tempore Evangelii, à signo ad rem significatam, à re spirituali ad corporalem, vicissimque à corporali ad spiritua-
lem, &c. Quòd

Quod quo utcumque planum faciamus, exemplum unum alterumve placet subijcere. Isaias cap. 15. vaticinans futurum, ut præstantissimæ quæque civitates Moabitarum vastentur, oratione non longa quidem, at eleganti, amplificat pericula quæ impendere prævidebat: *In omnibus, inquit, capitibus ejus est calvitium, & omnis barba est detonsa. In plateis ejus accincti sunt sacco, & in tectis ejus atque in vicis unusquisque ululabit, descendens ad fletum. Vociferabitur Helbon & Eleale, & usque ad Fabaz audietur vox eorum, atque ideo qui ad militiam accincti sunt in Moab, ululabunt, & anima cujusque ululabit apud se.* Et reliqua toto eo capite. Chrysost. Homil. 19. inscripta ad agricolas, & de vitando juramento, ut doceat quam grave sit peccatum pejerare, seu jusjurandum violare, principio ait non eos modo qui pejerant, sed totas etiam eorundem domos justo Dei judicio puniri atque subverti. Quod probat generatim exemplo excidii Sodomorum, in quo propter quorundam peccata non tantum homines, sed ipsi quoque muri, ipsa tecta, ipsa denique terra, acerbis poenas dependere visa est, extantibus in hunc usque diem favillarum & cinerum reliquiis ac perpetua sterilitate. Hinc addit se demonstrare velle, etiam speciatim quod propter perjurium, & quidem unius hominis, non tantum domum aliquam, sed amplam Civitatem, imò verò Provinciam universam divinæ ultionis severitate vastari contingat. Igitur statim profert historiam ex 4. Regum 24. & 25. de Rege Sedechia sive Zidkijahu, qui cum constitutus fuisset Rex Judææ per Nabuchadnezar Regem Babylonicum, in fide non permansit, sed inito fœdere cum Rege Ægypti, meditatus est anno Regni sui nono defectionem, quam ob causam Regnum Judæicum, quantum erat, paulò post à Babyloniis excisum ac deletum est. Aspergit verò plures rationes ad exaggerandum Sedechiæ peccatum, sed inter eas, quamdam speciosam & illustrem sumit ex prophetia Ezechia cap. 17. Cum enim forte aliqui dixissent, non fuisse punitam Judæam propter violatum juramentum, sed potius propter alia peccata, recitat Chrysostom. de ea re sententiam

Ezechielis, qui dissertè testatur Judæorum excidium propter fidem Regi Babyloniorum non servatam evenisse. Qua occasione parabolam Prophetæ de duabus aquilis & vinea, quarum altera aquila Regem Babylonium, altera Ægyptium, vinea autem Regnum Judaicum significabant, eleganter exponit & scite interpretatur: de hinc prosequitur quæ ad historiam pertinent. Cum autem referatur in historia, quod ferè triennium obsessa fuerit civitas, ex ea circumstantia malum exaggerat, admonens ex diuturnitate temporis, itemque conjunctorum periculorum, hinc famis, inde belli magnitudine pensari posse peccati gravitatem.

Sed addit præterea ibi aliam rationem ductam à providentia atque ordinatione Dei, dicens, idcirco Deum voluisse tanti temporis obsidione premi civitatem, quo rex respiscens confiteretur peccatum, necnon ab incolis persuasus & impulsus, se Babyloniis sponte dederet, quo quidem pacto remedium aliquod tantis malis adferri posse videbatur. Itaque tam longo temporis spatio pertinacem in malo persistere, non duci poenitentia, præsertim ubi Deus variis modis invitat, vehementer execrandum est. Facit verò & illud ad augendum crimen, quod rex interea temporis, vera prædicantes, & recta monentes, noluit audire. Qua de re subjicit Chrysostomus vaticinium & consilium Jeremiæ, quod extat Jerem. 38. Is enim Spiritu Dei afflatus, regi consilium petenti prædixit & suavit, si se Babylonio sponte submitteret, recipiendum in gratiam, atque Regnum ea ratione incolume mansurum, sin facere id derectaret, captivum abducendum, & civitatem igni conflagraturam. Sed Jeremias surdo cecinit fabulam. Itaque & hoc nomine rursus graviter accusandus, Sedechias, post hæc velut per spoliationem & profanationem templi, incendium civitatis, dirutos muros, ablatas manubias, obruncatos Principes, abductos captivos describit, subinde inculcans perjurium & fractam fidem omnia hæc mala induxisse. His non contentus progreditur ulterius, atque enarrat poenas, quas luit ipse rex, eademque geminas recenset, alteram excacationem, alteram

ram captivitatem. Utramque verò protinus amplificat, priorem quidem ex eo quod filios antequam exocularetur videre debuit in conspectu suo jugulatos. Posteriorem verò, quod spectaculo, adde & exemplo, deinceps esset futurus universo mortalium generi, maximè verò iis populis per quorum ditiones captivus erat deducendus.

Ubi rursus artificiosè duo vaticinia in speciem pugnantia conciliat, atque utrumque verum esse necnon successu ipso comprobatum ostendit. Alterum autem erat, quod Sedechias non esset visurus Babylonem: alterum quod in Babylonem abducendus foret: quorum illud quidem perfectum ait, quoniam in ipsa Judæa Sedechias fuit exoculatus: situd verò similiter perfectum, quando mox in Babylonem auctus est cum multis aliis captivis. Subnectit denique aliam amplificationem ad auditores, tractam ex comparatione temporis legis, cum tempore Evangelii. Si sub lege agentes adeò aspere propter perjurium plexi sunt, quantæ poenæ eos manent, quos nunc posteaquàm clara affulsit lux Evangelii pejerare non pudet? Sed desino plura adnotare in eum locum omni scatentem artificio. Ex his verò satis superque intelligitur, amplificationes subinde ex iis locis colligi, quos Theologia sibi proprios vendicat. Idem Chrysostomus incredibili prudentia atque arte, amplificat fidem atque obedientiam Abrahæ, parati unicum filium immolare (quod ante illum quoque fecit Origenes) Homilia 47. in Genesim, quam quisquis attentè leget, ægre sibi, certo scio, à lachrymis temperabit. Rursus Homil. 14. de temerario juramento Saulis, quo juraverat 1. Samuelis 14. de medio tollendum quicumque ante vesperum gustaret panem, ex diversis locis Theologicis ductas amplificationes, promptum est plures observare.

CAP. XXIV.

DE MOVENDIS AFFECTIBUS.

Non postremam curam ponet Concionator in movendis affectibus, quem eruditi omnes confitentur, nulla sanè re magis agere, atque hac una facultate. Qui non aliter docent in templo, atque solent professores in Scholis, haud potest fieri, ut magnorum fructuum spiritualium auctores sint, & perpauci aut nulli conspiciuntur talibus induci Concionibus ad respiscèntiam ac vitæ emendationem. Quamobrem quisquis docendi munus in Ecclesia semel suscepit, dies noctesque in id incumbet, ut hac in parte aliquid se præstare posse tandem sentiat. Nos interea nonnulla subjiciemus quæ huc conducunt, ac primum quidem dicemus, quando affectus movere conveniant, de hinc ubi, sive in qua orationis parte. Postremo quibus locis quovè artificio id fiat.

Notum verò est ex Rhetorum officinis communes affectus enumerari quatuor: Lætitiâ, Spem, Metum, Ægritudinem. Ac sub lætitiâ quidem ordinatè ponuntur, delectatio, jactatio: sub spe, desiderium, indigentia: sub metu, pigritia, pudor, terror, timor, pavor, conturbatio: sub ægritudine sunt invidia, ira, malevolentia, odium, æmulatio, misericordia, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, desperatio, &c. Ut autem scias quando movere affectus sit opportunum & consultum, ante omnia quidem debent animo comprehendi atque in ordinem redigi universæ concionis partes atque præcipui loci, quos constitutum est inculcari. Cujus autem loci tractationem judicaveris magis esse statui Ecclesiæ aut temporis negotiisque occurrentibus utilem ac necessariam, in eo præ ceteris illustrando diligenter elaborabis, necnon affectus movere auditorum adniteris. Quod dicimus est hujusmodi: enarras integrum Librum Sacrum, aut partem libri: in iis autem verbis quæ præ manibus sunt, varii loci

loci utiles inveniuntur reconditi, quorum alii quidem *dogmata* continent, alii *redargutiones*, alii *institutiones*, alii *correctiones*, aut *consolationes*. Atque in his quidam maximè idoneus est ad extimulandos homines ad virtutem vehementer in hominum vita, maximèque in rebus præsens necessariam: itaque hunc ipsum scies ita tibi explicandum, ut affectus commoverè seu vehementiores seu mitiores, quantum expedire videris studeas. Quo igitur tempore homines animadvertis luxui & crapulæ deditos, si in concione locus uspiam incidit de sobrietate ac temperantia, vel contra luxum, in hoc sane diutiùs commoraberis, atque in exhortatione, vel reprehensione affectus auditorum ad expetendam sobrietatem, ad aver- sandum luxum concitabis. Præterea ubi multi è plebe præmuntur inopia, summa est ubique caritas annonæ, atque interea refriguit, tantumque non emortua est caritas, si sane tunc locus sese offert commodus de beneficentia, hunc omnibus nervis conaberis plenius explicare, atque animos quanta poteris industria ad beneficentiam, ad misericordiam pauperibus tribuendam, inducere. Ad hæc incidit fortè locus quo significatur Deum velle ut parvuli ad se veniant: hic appositè de amore parentum erga liberos, oratio instituetur: necnon aliquanto etiam vehementius, & cum animarum concitatione urgebuntur parentes, ut liberos suos tempestivè in Scholam mittant, inque elementis pietatis curent rectè institui. Denique si quando historia vel præceptum vel sententia proposita est, quæ patit locum de constantia & fortitudine in confessione fidei, hic quidem locus merito explicabitur tanto uberius, quanto ob publica pericula, in primis verò ob Ecclesiæ perturbationem, pauciores nunc invenias, qui audent veritatem asserere: atqui hoc ipso in argumento tempestivè artificium movendi affectus omne proferetur, atque homines magna verborum sententiarumque acrimonia ad constantiam & fortitudinem in confessione veritatis provocabuntur. Aliquando verò etiam extra locorum communium tractationem aut Scripturæ explicationem miscetur, vel in initio concionis, vel in fine, vel per di-

gressionem in medio, aliqua exhortatio, aut objurgatio, in qua oratio assurgit ad affectuum usque concitationem: exempla apud Chrysostomum non rara invenias.

Ex his verò perspicuum evadit, qua in parte concionis moveri adfectus deceat. Non in confirmatione tantum, sed in exordio quoque & in conclusione, & non modò ubi ad finem confirmatio properat, sed ubicumque eorum quæ dicuntur ratio postulare id videbitur, commodum erit, animorum motus ciere. Concionatori major omninò libertas quam Oratori concedi debet, quemadmodum Concionator multa alia quoque cum decore facit, minimè attentanda interim Rhetori. Etenim Concionator mandat, imperat, duriter objurgat, interminat, dicit tamquam loco prætorio, & tamquam judex excommunicationis sententiam. Rhetor verò nihil horum sibi permissum arbitratur, sed potius cogitur iudicibus interdum turpiter adulari, aliquando etiam se quasi supplicem ante tribunal prosternere, & quid non? Chrysostomus Homil. 26. cui titulus, quod ex minimis nobis incipienda sit virtus, & quod non sit jurandum, statim in ingressu concionis multa graviter & cum Episcopali quadam dignitate repetit, quibus ad metuendum divini iudicii, necnon disciplinæ Ecclesiasticæ severitatem inducit auditores. Porro quibus locis argumentorum, quæ arte Concionator animorum motus auditoribus miscere atque agitare valeat, nunc dicemus. Ante omnia quidem necessarium plane est, ipse qui dicit tales affectus animo concipiat atque in sese suscitet, & quodammodò visendos ceteris exhibeat, quales cupit in aliorum mentes transfundi.

Etenim qui se dolere quorundam vel communem omnium vicem verbis, voce, vultu, & apto gestu declarat, is solus reliquos ad misericordiam videtur cito provocaturus. Qui ipse totus ardet, atque ad præclare aliquid agendum est inflammatus, is alios poterit sua oratione, & quasi suo exemplo, ad idem audendum accendere. Qui ipse ex animo vitia aversatur, atque hoc animi sui iudicium

cium congruenter exprimit, is alios haud dubiè tandem ad odium vitiorum pertrahet. Ceterum excitat quispiam in seipso affectus diversis modis.

Primò diligenti rerum, quæ ob oculos positæ sunt, consideratione, cum nimirum quis singula quæ rei conjuncta sunt valde, accuratè excutit, atque animo perscrutatur. Quod tamen non potest, nisi ab eo fieri, qui genus negotii probè exploratum habet.

Secundò vehementi imaginatione sive fantasia, quando admodum attenta cogitatione quispiam apprehendit, sibi que depingit rerum de quibus sermo habetur species & imagines, quas deinde animo sic infigit suo tamquam si privata ipsius causa ageretur, & tamquam si ea sola de re sibi perpetuo cogitandum duceret.

Tertiò adjuvantur, imò & augentur hæc ipsa, si quis locum aliquem attentè perlegat (præsertim in Libris Sacris) in quo affectus artificiosè moveri judicantur, cui & tandiu inharere erit conveniens, quoad mens conceperit quæ cum instituto congruunt. Qua quidem ratione narrantur Imperatores quidam, & in his etiam Alexander Macedo, quoties configere cum hoste habebat in animo, sese lectione versuum, quibus honorificum aliquod bellum gestum à Poeta quopiam describebatur, ad dimicandum inflammasse.

Quartò ut & ipse afficiaris, & alios possis pariter afficere, studebis ardenti precatione sub concionis initium à Deo Patre Cælesti impetrare. Enimverò quasi cognatione conjuncta est hæc facultas, cum virtute illa spiritus ac potentia, quam initio diximus Concionatori maximè necessariam, atque inter eximia Dei dona numerari debet. Atque hoc sane fateri omnes debent, vim movendorum affectuum non sic in exquisitis verbis atque elaborata oratione esse positam, quin multò magis proveniat pendeatque à peculiari quadam dicendi gratia, nonnullis divinitus concessa. Atque hinc profectò fit, quod quosdam videmus prorsus sine arte ac simplicissimè dicere, & interim pertrahere animos, quocumque voluerint. Quamquam id quidem dissimulari haud potest, quantum viva

vox, & gravis dicentis gestus, tantum etiam interdum res ipsas ad motus animorum excitandos momenti adferre.

Quædam namque res sunt planè ejusmodi, ut illaborata earundem narratio in auditorum pectora penitissime irreat, & summopere afficiat. Exempli loco accipiat narratio de Joseph, cum ad reipublicæ Ægyptiacæ sederet gubernacula, fratres suos agnoscente, Genes. 43. 44. 45. Quam quis obsecro, nisi ferreus sit, sine fletu perlegat? Hoc igitur primum & efficacissimum est ad movendos affectus instrumentum.

Secundò ad eandem rem instituti sunt certi loci artificiales, quorum non pauci ex Rhetorum quidem institutionibus, sed multò plures quoque ex ipsa Theologia, & Libris Sacris petiti videntur. Cujusmodi autem hi loci sint, & quibus adfectibus movendis quique serviant, non pigebit paucis percurrere. Excitare igitur solent Concionatores auditorum animos, non ad quasvis adfectuum species dudum à nobis enumeratas, sed in primis ad solitudinem consequendæ salutis, ad dolorem seu indignationem ob admissa scelera, ad iram & odium peccatorum, ad amorem virtutum, ad metum divini judicii, ad spem misericordiæ, ad misericordiam & charitatem erga proximum, & ad eos præterea adfectus qui his sunt quam simillimi, vix autem ad ullos alios. Ac tales quidem adfectus isti per se existunt, ut primò aspectu discernere quilibet queat, negotiis theologicis, id est, ad hominum salutem pertinentibus, esse quam commodissimos & quasi destinatos. Itaque si quando Concionator oratione perficere desiderat, ut homines propè perditos deploratiq; in solitudine sint salutis æternæ adipiscendæ, ab his locis qui sequuntur argumenta quædam accipere mutuo poterit.

Ab honesto. Valde enim inhonestum ac turpe fuerit in eo vitæ genere perstare, cujus meritò omnes bonos pudeat.

A peccatorum turpitudine ac magnitudine. Utraque ex lege Dei discitur.

Ab

Ab agnitione humanæ fragilitatis. Quæ est hæc vita, nisi vapor subito evanescens? Quin igitur vitæ corrigendæ inimus rationem?

A miseris cum externis, tum internis, quæ vitæ criminibus obnoxia sunt adjuncta. Magna est miseria magna agere in contemptu, & perpetuo disertiari animo.

A damnis quæ vitæ turpitudinem plerunque committantur, qualia sunt amissio famæ, & existimationis, dilapidatio & jactura rei familiaris, de gradu atque honore dejici, &c. His adde & mala post hanc vitam secutura.

A bonis innumerabilibus quæ à melioris vitæ proposito contingunt. Ubi meminisse decet divinarum promissionum.

A necessario. Nisi resipiscamus, actum de nobis planè fuerit, nihilque aliud quam mala malis accumulabimus. Et nihil ne moveant nos tot in Scripturis propositæ ipsius Dei comminationes?

A facili. Deus omnium inserit animis quoddam salutis expectandæ studium. Idem nos omni tempore invitat, allicit, trahit, facillimumque ad salutem aditum nobis patefacit. Quid multa? tum hi, tum alii quoque loci observari in Concionibus Prophetarum, Christi, & Apostolorum habitis de pœnitentia ac vitæ emendatione possunt. Petrus in prima sua concione, Acto. 2. nonnullis hujus generis locis usus, sic protinus commovit auditores, ut statim compungerentur corde, & percipide peterent scire, quid factò opus foret, ad salutem consequendam.

Porro partim iisdem, partim aliis quibusdam locis utitur Concionator, si quando studet auditores ad dolorem seu indignationem ob admissa peccata, aut ad odium, non quidem calamitosorum, & miserabilium hominum, quod facere assueverunt Oratores, sed vitiorum, ac satanæ nos sine intermissione ad vitia instringentis.

Etenim Theologia docet etiam hostes omnibus pietatis officiis esse adjuvandos, ac jubet Christus pro ad-

versariorum salute Deum patrem ut precemur. Ceterum observavimus apud rerum divinarum Scriptores ad concitandum odium ac detestationem alicujus vitii, vel aliquorum vitiorum hujusmodi locos ceu idoneos usurpatos.

Ab auctoritate ac diligentia eorum qui ante nos modis omnibus laborarunt ad vitia illa è grege credentium extirpanda.

Ab eorundem vitiorum magnitudine, quod videlicet, non sint vulgaria, quod raro audita, &c.

A personarum quæ vitiis illis laborant, qualitate.

Ab ipsa vitiorum forma, modo, ac reliquis circumstantiis, quæ fœditatem eorundem, atque indignitatem declarant.

Ab eo quod vel solius naturæ occulto instinctu abhorere omnes ab illis debebant. Item comparantur peccata cum peccatis, & ea de quibus sermo est demonstrantur ceteris multo esse graviora.

A magnitudine malorum, quæ ex præsentibus peccatis jam enata sunt, quæque in posterum tempus accedere possunt.

Atque hos locos tamquam ab Oratoribus monstratos licet accipere: ceterum ex Theologia aliæ rationes majoris ponderis adducuntur, veluti

Ab eo quod tam sordidi abjectique esse non debemus, qui hosti nostro diabolo velimus animos & corpora nostra submittere ad serviendum improbis ejus suggestionibus.

Ab eo quod perfidiæ, immo læsæ majestatis incurramus crimen, si à castris servatoris nostri Christi deficiamus ad Belial.

Ab eo quod summa sit ingratitude, adeoque inaudita crudelitas, Christum peccatis nostris iterum crucifigere, sanguinem ejus quo nos semel lavit, ac sanctificavit, aspernari.

Ab eo quod peccatis nos ipsos inquinando, contristamus Spiritum Sanctum, Sanctosque Angelos cus-

todes nostros, necnon universam Dei Ecclesiam infamamus.

Ab eo quod gratia Dei opitulante possimus tentatori & insidiatori diabolo resistere, carnem nostram domare, pravas cupiditates profligare, &c.

Ab eo quod si acquiescimus diabolo, nobis ipsis nostræque malitiæ culpa omnis imputabitur, neque ullam prætexere licebit excusationem, & nos quidem ipsi luitursumus poenas pro his quæ suadente diabolo designaverimus.

A poenis quæ peccantibus sunt propositæ, eademque non temporariæ modo, sed etiam æternæ, ad quas & declinandas & effugiendas nulla via nisi resipiscentis Christi opem imploremus, patet.

Nonnumquam verò Concionatori occasio offertur ut excitet auditores ad amorem, hoc est, ad charitatem seu dilectionem. Quod quidem tunc præcipuè fit, cum de insigni quapiam virtute sermo habetur, aut celebratur excellens factum Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, aut cujuscumque insignis sanctimoniam viri. Hic namque par est, hominum animos afficere, & quantum fieri datur, inflammare, ad amandam amplectendamque eximiam ac raram virtutem, ad ardens studium imitandi præclarum facinus. Ad hanc igitur rem plurimum valebunt rationes sumptæ ex locis expetendorum ac fugiendorum.

Nempe	{	Ab Honesto.	{	A Pio.
		A Religioso.		A Glorioso.
		A Facili.		A Necessario.

Quæ omnia comprobari & illustrari breviter queunt rationibus, sententiis, exemplis, similitudinibus, de sacrarum litterarum poenu comportatis.

▲ In confessione: a nostra humilitate seu mortificatione:

Item { A causis
 { A circumstantiis. } A signis seu contingentibus, tum
 { antecedentibus, tum adjunctis ip-
 { sis negotio, tum consequentibus. &c.

Qualibus sanè locis, & quidem ex Theologia deduc-
 tis, videmus Prophetas, uti quotiescumque exhortantur
 ad justitiam, ad modestiam, ad humilitatem, ad agnitæ
 veritatis confessionem, ad diligentem observationem
 cultus divini. Multò autem clarissime quidquid hujus est
 negotii in iis elucet Concionibus Chrysostomi, in quibus
 ad patientiam, sobrietatem, hospitalitatem, beneficentiam
 in pauperes, similesque virtutes conatur pertrahe-
 re. Jam verò ad metum divini judicii auditorum animis
 imprimendum, adminiculo erunt argumenta deprompta,
 à peccatorum nostrorum magnitudine, quam ex lege,
 ex circumstantiis omnibus decet exaggerari: à nostra in-
 dignitate, & propria culpa: à nostra imbecillitate, qui
 vacui sumus ac destituti omni virtutum genere, quod judi-
 cio Dei opponamus: ab eo quod comminationes Dei ne-
 cessarium sit, sine exceptione ulla perfici: à gravitate
 poenarum quæ in comminationibus divinis dissertè com-
 memorantur: ab eo quod Deus peræque exequi debet quibus
 celebris fit ipsius justitia, atque quibus innotescit miseri-
 cordia: ab exemplis eorum quos à Deo ob peccata acerbè
 punitos novimus: ab eo quod Deus si non statim multat,
 si non in hac vita, attamen post breve tempus, aut certè
 post hanc vitam, digna rependit factis supplicia: ab eo
 quod nulla sapientiæ vel industriæ humanæ rima ad eva-
 dendum emergendumque ex Dei judicio pateat. Non dif-
 ficilè est alios quosdam locos his argumentis aptare, in
 præcedentibus adscriptos. Objurgatoriæ conciones Pro-
 phetarum & Apostolorum, vel Chrysostomi, aliorum-
 que Sanctorum Patrum hoc genere abundant. Porrò ad
 faciendam spem misericordiæ conducunt plerique loci
 consolationibus adhiberi soliti, sed hi peculiariter: A pec-
 cati confessione: à nostra humilitate seu mortificatione:
 ab

ab assidua imploratione divinæ opisi, Deus non aspernatur preces se humiliantium, ac de propriis viribus diffidentium.

A virtute Spiritus nos adjuvantis in nostris precationibus.

A promissionibus divinis.

Ab ingenita ipsius Dei promittentis bonitate, qua vult rogari, & petita præstare.

Ab eo quod Deus promissis stare gaudet, neminemque vult fallere.

Ab intercessione mediatoris Christi.

Ab effectu mortis, atque omnium meritorum Christi.

Ab eo quod Pater novit necessitates nostras, etiam antequam petamus.

A nostra {
Electione.
Vocatione.
Justificatione.

Ab eo quod Deus numquam suos prorsus deserit, sed prius paterno adfectu succurrit, quando extremè periclitantur.

Legantur conciones consolatoriæ ad muniendos erigendosque animos in tentationum certaminibus digestæ, atque multo haud dubiè uberior materia sese in illis proferet, quàm à nobis comprehendere paucis queat.

Postremò si placet hominum mentes ad misericordiam revocare, quod quidem fieri oportet, ubi admonendus orandusque est populus, ut opem ferant egenis, ut succurrant iis qui morbo, naufragio, incendio, alluvione, bello, vel simili calamitate affliguntur, ut errantes, vel in desperationem prope lapsos, studeant omni diligentia in viam reducere, aut pro salute eorundem Deum deprecari, ab his quidem locis rationes aliquas rectè colliges.

Ab ætate, ut si puer, si senex affictus sit.

A sexu.

A

A

A conditione vel impotentia, ut si pauper, si vidua, Orphanus, &c.

A vitæ innocentia. Ejus qui neminem læsit, qui sua non obligurivit turpiter, libentius miseremur.

A priore fortuna, felici, op tima, &c.

A genere calamitatis.

A magnitudine ejusdem.

A comparatione præsentis mali cum aliis incommodis.

A	}	Loco.	}	Modo.
		Tempore.		ceterisque circumstantiis.
		Instrumento.		

A potentia & crudelitate eorum qui injuriam intulerunt.

A providentia Dei sapienter omnia ordinante, quæ & voluit propter nos præsentia exempla calamitatum extare, quo periculum fieret quomodo nos in alienis malis gereremus, atque occasionem haberemus officia charitatis erga oppressos exercendi.

A dignitate ejus qui affligitur, quod nimirum sit frater noster ejusdem regenerationis spiritualis nobiscum particeps, & eodem Christi sanguine redemptus.

Item ab eo, quod qui calamitate premitur frater noster non propter sua tantum peccata, sed magis propter exemplum aliorum patitur, quomodo Christus interpretatur illorum casum, qui ruina turris in Siloa attriti sunt, Luca cap. 3.

A metu parium malorum nobis impendentium. Quas enim videmus aliis infligi pœnas, eas scire debemus nobis quoque Dei bona voluntate atque justitia esse omnî tempore paratas.

Item à præceptis Dei quæ jubent ut misericordia erga alios moveamur.

A promissionibus quæ his propositæ sunt qui misericordiam exercuerunt.

A comminationibus poenarum temporalium, & æternarum, tum corpori, tum animo impendentium.

A vitandis contemnendisque } Carnis. } qui nos à
- insidiis hostium spiritualium } Mundi. } bene agen-
} Diaboli. } do avocant,

qui in discrimen pertrahere, & miserabiles nos reddere satagunt. Sed satis sit hos enumerasse, qui occasionem excogitandi & alios locos idoneos præbent.

Ad hæc interdum prædicantur amplissima beneficia per Christum allata: rectè igitur Concionator omni orationis impetu ac magno animo auditores extimulat, ut beneficiorum Christi magnitudinem explorete dijudicent, ut vitam emendando & piè sanctèque deinceps agendo, contentur se gratos exhibere. In hanc igitur rem multum laborem, diligentiamque non abs re insumit. Quemadmodum autem ante diximus, sicut hæc res propriae sunt ipsius Theologiæ, ita ad movendos affectus loci accommodati, non aliunde rectius, quam ex ipsa Theologiâ (post illos quos Rhetorum contineri præceptionibus cernimus) excerpti poterunt. Verum diutius his insistere atque ejusmodi locis recensendis explicandisque occupari, nimis prolixum foret. Videmur præstitisse quod nostri est officii, quando viam utcumque monstravimus, qua qui ingredi aliquando cœperint, facile assuescent locos cuiusvis argumento idoneos ex Theologiæ fontibus haurire. Admodum enim dives est Theologiâ atque omnis generis suppellectilem ad bene dicendum necessariam quibusvis petentibus affatim & largiter dat mutuo. Quòd verò ad figuras quæ serviunt movendis affectibus attinet, non necesse habemus aliquid post Oratores adjicere. Quas namque illi docuerunt ad hanc rem esse utiles, eas omnes Concionator suæ orationi jure accommodabit. Itaque repetitio, congeries, incrementum, contentio, exclamatio, interrogatio, subjectio, Apostrophe, communicatio, dubitatio, promissio, reticentia, hyperbole, effictio, imago, hypotiposis, ceteraque ejus

generis figuræ locum habent cum iudicio adhibitæ. Quamvis sæpenumero Concionator etiam seposito omni artificio atque excluso apparatu vehementer afficit, quando nimirum ipsa Dei oracula, Prophetarum testimonia, ipsius Dei præcepta, promissiones, comminationes, Sanctorum Prophetarum interpretationes, ob certitudinem, gravitatem, aliquando & ob gratum sonum verborum, moderatamque pronunciationem tantum habere in sese ponderis & virium sentiuntur, ut ad misericordiam, indignationem, odium, metum, spem, amorem, studium mutandi pertrahere, adeoque cogere etiam agrestes homines statim queant. Qua quidem in parte Concionatorem esse Oratorem feliciorum necesse est omnes, velint nolint, confiteantur.

Porro in exhortationibus, reprehensionibus, sive obijurgationibus præcipuè & frequentius locum dari movendis animorum adfectibus, notius est quam ut admoneri sit necessum, non obscure id comprobante quotidiano usu docentium in Ecclesia. Quod Oratores præterea consueverunt adfectibus præsertim vehementioribus, non esse diu inhærendum, in eo nos ipsis assentimur, quando diuturna esse nullo possunt modo, quæ sunt vehementia.

Ceterum exempla concionum, in quibus affectus moventur ex Prophetis & Apostolis, itemque ex Sanctis Patribus merito subijcerem, nonnulla etiam membratim explanarem, artificium omne commonstrans, sed vereor ne justo plus excrescat oratio. Obiter quædam saltem capita indicabo. Sollicitudinem consequendæ salutis movent, Isaias cap. 23. Ezechiel cap. 6. 16. 28. Deinde Petrus Actorum secundo, ac tertio, ubi is primum evincit Christum agnosci ab illis potuisse verum Deum, moxque exprobat insatiabilem crudelitatem quam in eundem Christum exercuerant. Amorem seu dilectionem valde efficaciter excitat Apostolus Paulus Actorum 20. prima Thessalon. secundo, quarum concionum supra, cum de spiritu seu potentia in docendo agebatur, facta est

men-

mentio. Metum divini iudicii auditorum mentibus incurrit Isaias cap. 1. tum ubi describit miserabilem Provinciae Judaicae vastationem, dicens, Omne caput est languori expositum, &c. Tum ubi peccata eorumdem tamquam causas vastitatis exaggerare cupiens, Principes Judaeorum appellat Principes Sodomae: populum verò, populum Amora, & cet. Eiusdemque generis concionum partes quaedam sunt, capite 3. 10. 13. Item Hebr. 3. & 4. Ad spem misericordiae inducunt Isaias, ceterique Prophetae, quibus locis post duras increpationes descendunt ad consolationes, ac vaticinantur, promittuntque accipiendam, propter Christum, remissionem peccatorum. Luculenta est concio de liberanda Ecclesia per Christum, & quidem gratuita Dei misericordia, capite 52. 53. Item de accipiendis post hanc vitam justificationis effectis. Romanorum octavo. Si quidem simul cum eo patimur, inquit, & ut una cum illo glorificemur, & quae sequuntur ad finem usque capitis. Apud Chrysostomum autem raras videas conciones quibus unum aliquem locum communem pertractat, atque vel ad virtutem advocat, vel abducit deterretque à vitio, vel de negotio pro temporis ratione oblato disserit, quin in iisdem acriter moveat adfectibus, ac modò quidem ipsa rerum mole dignitateque, modò verò peculiaritè, qua quam plurimis sui ordinis anteit, eloquentia, ac dicendi gratia. Legatur in primis Homil. 20. Tom. 5. De Episcopi Flaviani reditu, qui missus fuerat ad placandum Imperatorem, ubi Episcopum senem & venerandum introducit incredibili studio atque orationis suavitate flectentem Principis irati animum ad misericordiam. Tomo insuper 6. concio quam habuit cum de expulsionem ipsius consultabatur, brevis quidem illa, sed ad amorem ac dilectionem excitandam, cum rebus, tum verbis optimè instructa. Legantur denique conciones dictae adversus execrandam ac detestabilem consuetudinem pejerandi, adversus iram, adver-

sus invidiam, obreſtationem, calumniam, luxuriam, avaritiam, ceteraque ejusdem farraginis. Atque haec hactenus quidem de his, quae omnibus concionum generibus sunt communia, atque accipi possunt ut generalia totius facultatis concionandi praecpta. Superest, ut quotuplicia sint concionum genera, & quae cuique generi sint propria, hoc est, quos praecipue locos argumentorum ad confirmationes apte parandas in promptu esse oporteat, quae praeterea adhibenda in singulis generibus cautiones, ad vitanda incommoda, succincte exponamus.



LIBER II.
 DE FORMANDIS
 SACRIS
 CONCIONIBUS,
 SEU DE INTERPRETATIONE
 Scripturarum populari.

CAP. I.

QUOT SINT CONCIONUM GENERA

quotuplex status, & de duobus thematum formis.

Multum diversa cum sit actio Concionatoris in templo ab actione Rhetoris in foro, frustra mihi videntur se torquere, atque injuriam etiam non levem inferre Theologiæ, omnium disciplinarum Principi, qui conantur tria illa genera causarum *demonstrativum*, inquam, *deliberativum*, & *judiciale*, è profano foro in Sacram & Religiosam Ecclesiam inducere, atque Concionatoribus proponere sequenda. Quanto justius illa agnosceremus genera concionum, quæ, & quot in Sacris Litteris ab Apostolo distingui cernimus? Etenim is 2. Timot. 3. Omnem Scripturam divinitus inspiratam utilem esse ait, *ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctio-*

nem, ad institutionem, & (quod Rom. 15. idem addit) ad consolationem. Cum igitur orationem omnem quæ ex Scripturis ad instituendos homines ad pietatem paratur sine involucris, significet Apost. ad hæc quinque dirigi debere capita (quod & supra demonstravimus satis dilucide, de unaquaque concione in locos certos distribuenda agentes) rectè sequentes excellentissimi Concionatoris Divi Pauli iudicium, quinque concionum genera constituemus, quorum primum appellabitur *doctrinale* seu *διδασκαλικόν*. Secund. redargutivum, sive *ελεγκευτικόν*, tertium institutivum, alias *παιδευτικόν*, cum Apostol. dixerit *προσπαιδείαν* (liceat verò his uti nostra professione vocabulis non male quod cupimus exprimentibus) quartum correctorium vel *επανωρθοτικόν*, quintum consolatorium *παράκλητικόν* vel *παραμυθικόν*. Ad hæc genera quæcumque conciones sacræ referri possunt ac debent: multoque plura sub his comprehenduntur quam sub illis causarum generibus quæ Rhetores tantopere venditant. Quæ enim judicialis sunt generis Oratoribus, ea apè collocantur sub redargutione aut correctione: quæ autem deliberativi generis, itemque demonstrativi, sub institutione: quod verò ad doctrinale itemque ad consolatorium genus reducatur, Rhetores non habent, utpotè qui universum docendi consolandique munus ad Philosophos Academicarum & Scholarum incolas liberali vacantes otio devolverunt. At verò Concionator nullam docendi rationem quæ ad juvandos informandosque miserorum mortalium animos usui esse queat, prætermittit. Verum de his concionum sacrarum generibus, plenius à nobis superius dictum est. Porro cum status sit propositio summam rei, de qua dicere propositum est, continens, adeoque totius argumenti caput; sanè quot concionum præfinitur genera totidem etiam statuum formæ agnoscentur, ut alius quidè sit status *διδασκός* vel doctrinalis, alius redargutivus, alius correctorius, alius denique consolatorius: quando concionis habendæ summa paucis verbis comprehenditur, tum status est in conspectu positus. Exprimitur autem status, modo themate simplici, id est,

una

una dictione, veluti si decreveris dicere de fide, de operibus, de morte, de patientia, erunt hæc themata simplicia, fides, opera, mors, patientia: modo verò themate composito integra propositione, ut fides justificat, mortui resurgunt ad vitam æternam, bona opera mercedem & præmia tam præsentis vitæ, quam futuræ apud Deum consequuntur. Tantum de diversis concionum statuum, ac thematum generibus.

CAP. II.

DE GENERE DOCTRINALI,

seu Didascalico.

POtest quidem in unoquoque genere concionum communis & vulgaris quodammodo usurpari exordiorum, propositionum, divisionum, confutationum, denique & conclusionum ratio: verum confirmationes habent varietatem non exiguam, atque unicuique concionum generi sui sunt loci peculiare destinati, è quibus probationes idoneæ hauriuntur. Hujusmodi igitur locos nos enumerabimus, & nihil aliud quam enumerabimus, quando de his ipsis fusius in topicis nostris theologis, sumus tractaturi. De genere autem Didascalico par est primum dicamus.

In hoc autem genere sæpenumerò tractantur themata simplicia, atque disseritur de fide, charitate, spe, lege, peccato, morte, similibusque. Placet verò nonnullis hujusmodi themata explicari certo quæstionum ordine, quem Dialectici quoque de iisdem thematibus præscribunt, ut nimirum aperiatur Primò, quid sit. Secundò, quæ partes, vel quot species. Tertio, quæ causæ. Quarto, quæ officia seu effectus. Quintò, quæ affinia. Sextò, quæ contraria. Minimè quidem existimabit quispiam hanc rationem aspersionem, quando plurimum prodest, tam docenti, quam discentibus certam retineri methodum. Atqui audio aliquem mihi objicientem, hanc quam com-

memoro disserendi formam, magis frequentatam esse Aristoteli, ejusque sectatoribus Dialecticis, quam Theologis: perrarò enim, imò numquam, inveniri apud Prophetas aut Sanctos Patres conciones ullas, hac simpliciter methodo enarratas. Equidem dicam quod res est: ad indagandam, eruendamque è tenebris quarumcumque rerum naturam, sapienter sanè omnes in dicendi munere versantes, quoties simplicia explicare themata volunt, hunc quæstionum ordinem tamquam normam sibi proponunt. Attamen illud est advertendum inter Dialecticum vel Philosophum, & Theologum Concionatorem discrimen. Dialecticus quidem jure suo, ut qui recipit & promittit, se quidquid de quovis argumento oblato probabiliter dici queat, velle in medium afferre, atque imaginatur discipulos se habere philosophastros, omnium illarum quæstionum ductum anxie subtiliterque persequitur. Theologus autem, in primis verò Concionator, qui universæ multitudinis, & in hac quam plurimorum illiteratorum, se magistrum profiteretur, non patitur cancellis adeò angustis orationem suam circumscribi, sed veluti in libera agens regione, ea duntaxat eligit negotiorum capita explananda, quæ arbitratur intelligentiæ auditorum, pariterque loco ac tempori maxime congruere. Itaque etsi domi in museo præmeditans, quamnam proponere in Ecclesia expediat, quæstiones illas quasi cogitationum moderatrices in oculis habeat, tamen postquam aliquandiu cogitavit, in unius aut duarum aut trium quæstionum investigatione defixus hæret. Hinc igitur illa quorundam consuetudo, qua primo quidem loco, quid sit res qua de agitur, exponunt: eandemque quæstionem mox illustrant comprobationibus variis, veluti pronuntiatis Scripturæ similitudinibus, exemplis, aliisque ejus generis omnibus interim sumptis de Sacris Litteris, vel de Sanctorum Patrum Commentariis. Absoluta quæstione quid sit, progrediuntur ad eam quæ maxime videtur loco, tempori, personis, accommoda existere, sive ea ex causis, sive ex circumstantiis, sive aliunde enascatur. Itaque ordo ille à Dialecticis præscriptus, statim

tim perturbatur, negligiturque sicut revera expedit etiam ubi ex arte discutiuntur omnia, artem studiosè tegere. Sed quin, adnotabimus breve exemplum? Differendum igitur si tibi est coram Ecclesia de divinis traditionibus, rectè sanè initio explicabis, quid intelligendum sit nomine traditionum divinarum. Forsitan etiam tempestivè addes, quotuplices eæ sint, sive quot earundem species. Dehinc autem habita ratione præsentis tempestatis & status Ecclesiarum, perges docere, quantas vires illæ habeant, sive quousque distringant, obligentque hominum conscientias, qui quidem locus referri ad quæstionem de effectibus, seu officiis queat. In hoc autem solo utiliter perstabis diutius, imò totam finies concionem.

Item instituit aliquis dicere de providentia Dei: ante omnia exponet quid ea sit, atque definitionem, seu descriptionem dilucidiorè reddet, accersitis diversis probationibus. Hinc demonstrabit providentiam Dei non tantum esse universalem, sed etiam singularem, id est mundum istum & res humanas sic à Deo gubernari atque administrari, ut vel singularum ac minutissimarum rerum sedulam curam ad se recipiat, qua de re conjecturam jubet nos Christus ex eo facere, quod ne passerculus quidem in terram sine Dei voluntate cadat, & singulè capitum nostrorum pili sunt numerati, & non nisi illo volente defluunt. In hac verò providentia particulari explicanda consumet præcipuam concionis partem. Quo quidem pacto in una aut altera quæstione abundè satis invenit Concionator quod cum fructu tradat. Nec ferè solent plures quam duæ tresvè quæstiones sive loci de themate proposito in una concione enarrari, aut si plures omnino tractari ex re fuerit Ecclesiæ, prudentis erit Doctoris, aliquas in aliud tempus reservare. Causa consilii hæc est: nam in omni concione generis didascalici diligentia hæc requiritur, ut post declarata dogmata, eorundem quoque usus perspicuè demonstraretur. Magnopere enim hominum interest scire, quare quæque sint cognoscenda vel credenda, & quam institutionem, correctionem, vel consolationem possint ex dogmatibus accipere. Etenim quod
ad

ad laudem dignitatemque Sacrarum Scripturarum mirificè facit, nullum in iis dogma extat, in quo non sit recon- dita multiplex doctrina ad confirmandam fidem, spem, charitatem, ad excitandos animos, ut agnoscant Dei erga se benevolentiam, ut gratias agant pro immensis beneficiis, ut ad officia charitatis erga proximum reddantur alacres & erecti, ut consolationem, & levamen in publicis vel privatis miseriis nanciscantur. Atque hanc rationem demonstrandi usum eorum dogmatum quæ fuerint explanata, passim licet animadvertere in Concionibus Prophetarum, Christi, Apostolorum, in Epistolis Paulinis, &c. cum profectò nisi legitimus usus teneatur, necnon ad vitam moresque omnia transferantur, plane sterilis & infrugifera sit magnarum rerum cognitio. Ad Roman. 8. continetur usus totius disputationis de justificatione per fidem absque operibus legis. Ad Roman. 11. usus antecedentis disputationis de rejectione Judæorum, & vocatione Gentium.

Quæ verò jam diximus de discutiendo themate simplici, eadem omnia admoveri etiam ad thematis compositi enarrationem contingit. Quamvis in themate composito satis fuerit statim in confirmatione probationes omnes ex ordine digerere, nulla prorsus partitione in quæstiones facta, nisi fortassis quæstio aliqua peculiaris ex circumstantiis, vel causis ullis enata incederet, quam pro ratione loci ac temporis expediret populo plenius cognoscendam proponere. Quod si interea ex libro sacro, vel parte libri locus Scripturæ Divinæ est in manibus, qui definitiones, probationes vel causas, vel circumstantias rei, quæ de agitur, satis distinctè enucleat, observanda est methodus, quam Autor libri ipse monstrat. Nec enim temere ab eo discedere quis audebit, etiam si hic sequendum consilium, ut, quemadmodum ante admonuimus, unum membrum paucioribus, aliud pluribus enarretur, prout ac postulabit necessitas & publica utilitas. Loci autem præcipui servientes explicationi thematum generis didascalici, sunt hi: ad explicandam quæstionem Quid est, adhibentur Definitio nominis, Definitio rei, Genus, Spe-

Species, Differentia, Proprium. Ad quæstionem, quot partes, sive quotuplex res sit: Divisio, Totum, Partes. Ad quæstionem, quæ causæ: Materia, Forma, Efficiens, Finis. Ad quæstionem, qui effectus seu officia: Eventa, Effecta, Destinata, Adjacentia, Actus, Subjectum. Ad explicandam quæstionem, Quæ affinia; Conjugata, Contingentia, quæ ferè constant signis, (quàm obrem his rectè adjungantur & circumstantiæ) pronunciata, similia, comparata. Ad quæstionem, quæ Contraria; Opposita, Disparata. En locos à Dialecticis recenseri solitos, quorum interim usus non parvus est in Sacris Litteris, ita digestos, ut nullo negotio perspicui possit, cui quæstionum generi accommodari singuli debeant. Verum ipsa Theologia alios quoque locos ad roboranda dogmata utiles, passim in Libris Sacris offert, quales in primis sunt hi

Ab usurpatione vocis cujuscumque in Sacris Litteris, sive à phrasi Sacræ Scripturæ.

A certa orationis seu locutionis forma.

A significatione verborum, ad sententiam sive mentem loquentis.

A verbis antecedentibus & sequentibus.

A sententia generali in Theologia.

Ab attributis Dei. A signo ad rem significatam, sive ab externo ad internum.

Ab uno tempore, ad aliud, vel à tempore legis ad tempus Evangelii.

Ab uno tempore ad omne tempus, à membris ad caput, à capite ad membra.

A corporali ad spirituale, à spirituali ad corporale.

A comminatione Dei ad effectum, à promissione Dei ad effectum.

A necessaria impletione vaticinii, à necessaria veritate definitionis divinæ vel propheticæ.

A persona unius pii ad personas omnium piorum.

A persona unius impii ad personas aliorum impiorum.

A typo ad veritatem. Ab allegoria ad genuinam significationem.

His & aliis similibus locis dogmata in Libris Sacris comprobata, animadverti possunt, quemadmodum in topicis Theologicis ostendemus. Quare nihil dubitabit Concionator iisdem in explanando themate generis didascalici se uti posse, faciat modo id cum prudentia atque iudicio. Quod quidem dextere præstabit quisquis probationes in sermonibus didacticis à Christo & Apostolis habitis, adnotare atque in suis Concionibus exprimere studebit. Jam verò huic generi quam grave est atque difficile, non abs re cautiones aliquot adjungemus, quod decretum est itidem facere in ceteris generibus sequentibus.

I. Eorum dogmata prætermittatur ac vitetur tractatio quæ ad pietatem parum conducunt, & quorum disquisitio cognitioque curiosos potius reddit auditores, quam pios. Quo spectat quod Apostolus diversis locis ad Timotheum & Titum scribens prohibet locum dari in Ecclesia, doctrinæ quæ non est secundum pietatem, stultis & ineptis quæstionibus, contentionibus, ac pugnis legalibus, quæ sunt inutiles & supervacaneæ, quæque dissidia magis movent, quam ædificationem. I. Tim. 1. 4. 6. 2. Timoth. 2. 3. Tit. 1. 3.

II. Posteaquam de dogmate quod ad salutariter proponendum delegeris, doctrinam observasti librorum Prophetarum, & Apostolicorum, quæ sola fundamentum est veritatis, ac norma quam sequi omnes necesse est, sapienter etiam aliorum Theologorum, qui Scripturas atque dogmata in iis contenta in suis commentariis explanant, sententias ac iudicia consules, atque cum iudicio præstantissima quæque tuis accomodabis inseresque Concionibus. Qui labor duplici bono erit, primum enim intrepide, ac sine reprehensionis metu, etiam si nullos Auctores in publico nomines, de quibusvis rebus audebis diffinire, deinde si placet Auctores nominare.

Declarabis eo pacto Ecclesiarum & Doctorum hominum de eodem dogmate consensionem, qua quidem con-

sensione dei non potest quantopere auditores permoveantur, non tam ut obviis (quod ajunt) ulnis sanam doctrinam excipiant, quam ut constantibus animis eandem tueantur.

III. Dehinc de methodo quam dogmatum explicandorum natura admittit, quæque ad tempora, loca & auditorum ingenia quadrat, cura omnis suscipietur. Etenim aliud dogma alia methodo explicari desiderat. Atque hoc illud esse videtur, quod sibi voluit Apostolus ad Timoth. in-
quiens: Stude teipsum probatum exhibere Deo, operarium non erubescendum, rectè secantem sermonem veritatis. 2. Timoth. 2.

IV. Omni studio cavendum, ne probationes ullæ appareant duriter tortæ, vel nimium longè petitæ. Ubi namque auditores vel unam hujusmodi animadvertunt, minoris faciunt ceteras, atque Doctorem protinus suspectum habere incipiunt, necnon tacitè accessunt, aut doli, aut insitiæ.

V. Cum verò omnia quibus dogma comprobabitur, solida, expressa, certaque esse oporteat, similitudines parce, typi atque allegoriæ numquam, aut perraro accersuntur. Deinde sicubi accersuntur, non ferè nisi pòstremum sortiuntur locum.

VI. Ad hæc providendum etiam atque etiam ne quid uspiam misceamus, quod ob difficultatem, aut obscuritatem, pertrahi posset ab improbis ad stabilitatem falsæ sententiæ, vel ad sceleris patrocinium. Qua quidem ratione Petrus dixit quosdam indoctos & parum firmos detorquere ad suam perniciem, nonnulla quæ Paulus Apostolus in suis Epistolis religiosè, sincereque tradidit. Occurri autem huic malo magna ex parte potest, tum consideratè & propriè loquendo, tum in tempore adhibendo aliquas præoccupaciones, quibus calumniandi occasio eripitur.

VII. Post expositum dogma numquam negligatur verus ejus usus tam publicè ad universam Ecclesiam, quam privatim ad singulorum conscientias pertinens. Cujus

doctrinæ usus latet abditus, ejus otiosa & propemodum supervacanea est cognitio.

VIII. Ne illud quidem prætereundum est. Si quando contigerit Concionatorem in explicatione alicujus dogmatis à veritatis scopo aberrare, atque pro certis incerta falsaque exhibere, (quod quidem evenire potest, vel quia ipse qui docet in rerum divinarum contemplatione nondum satis est exercitatus, vel quia unum tantum alium quem Scriptorem sibi lectum sequutus est aliorum judicii non auditis, vel denique, quod nonnumquam in Ecclesia quæstiones quædam, præsertim vocatæ in controversiam temporis longinquitate plenius manifestiusque discutiantur quam ante discussæ fuerant) haud pudebit eum confiteri, se pridem errori fuisse implicitum, atque quod peccavit, minus rectè docendo, vel nunc sarcire, sani orem adferendo interpretationem. Qui ducem se præbuit miseris qua lapsi sunt in foveam, idem merito demonstrabit, qua rursus evadere queant. Nec vehementer offendi hac re auditores debent. Nam meminisse omnes decet, homines esse eos qui in functione Ecclesiastica positi sunt, ideoque humani nihil esse ab eis alienum. Est autem natura humanæ errare, malitiæ vel insipientiæ perseverare in errore, ut singularis beneficentiæ & gratiæ Dei post lapsum rursus erigi. Quamobrem si qui indignantur audientes se paulò ante fuisse seductos, eosdem par est rursus lætari, & sibi suoque congratulari Doctori. Deo verò grates quam maximas agere, quando percipiunt se iterum ex errorum tenebris in veritatis lucem reduci. De hac verò cautione nonnulla August. de catechizandis rudibus capite undecimo, & libro de verbis Apostoli, sermone vicesimo secundo.

Ceterum exempla tractandorum dogmatum multa sunt in conspectu posita. Isaias cap. 1. breviter docet externum cultum sine affectu cordis ac vitæ pietate esse inutilem. Idem cap. 25. 26. 27. concionatur de præmiis piorum, & de pœnis impiorum. Rursus cap. 66. de vero Dei cultu. Christus Matth. 5. de vera beatitudine, de recto le-

gis usu, cap. 6. de fiducia in Deum, aut si mavis de providentia Dei. Cap. 11. de Poena contemnentium Evangelium. Cap. 13. de Verbi Dei diligenti auditione, de effectis Verbi. Cap. 16. de Fidei & agnitæ veritatis confessione. 17. de Obedientia & honore magistratibus debito. 19. Quanta merces eos maneat, qui constanter Evangelio adhærent. 20. Quòd sola Dei gratuita misericordia vocari, justificari, & glorificari credentes contingit. 24. & 25. De fine & constimnatione mundi, de adventu Christi ad exercendum judicium. Joan. 14. 15. 16. de fortitudine & patientia in persecutionibus religionis ergo, de charitate & vera dilectione, &c. In Epistola ad Roman. disputatio altera de justificatione per fidem operantem per charitatem absque operibus legis. Altera item cap. 9. 10. 11. de rejectione Judæorum & vocatione gentium, proponi exemplorum vice possent, nisi magis Scholastica ratione docendi, quam populari essent conscriptæ, etiam si posterior ad popularem proximè accedit. Item judicandum de disputatione ad Galat. 3. quæ per omnia convenit cum priore illa ad Roman. nisi quod populo magis servit. Accommodatissima autem præsentì negotio est assertio resurrectionis mortuorum. 1. Corint. 15. Item ad Hebr. 1. & 2. de duabus naturis in Christo, præterea c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. de abrogatione Sacerdotii ac sacrificiorum legalium, & successione Sacerdotii æterni ac unici sacrificii Christi. Apud Chrysostomum verò plures hujus generis conciones occurrunt, in primis in enarratione Evangeliorum Matthæi ac Joannis. Insignis est cujus & ante meminimus, Homilia 60. in Matth. ubi concionatur de causa peccati. Item Tomo 5. Homil. 48. de tremendo Dei judicio. Homil. 71. quod nihil prosit jejunium ad vitam æternam promerendam, si desit vitæ innocentia. Homil. 40. Quod non oportet lapsum desperare vel torpescere. Item conciones vel potius libri de providentia Dei, nam & hos populariter esse conscriptos palam est.

CAP. III.

DE GENERE RED ARGUTIVO.

IN hoc genere quod institutum est ad redarguenda falsa dogmata, frequenter ita solent conciones digeri, ut modò quidem oratio univèrsa in sola falsi dogmatis redargutione versetur, modò verò parte concionis altera confutetur evertaturque dogma falsum, altera asseveretur. & quanta fieri potest diligentia urgeatur dogma verum. Quod si res postulaverit, etiam plures conciones huic negotio destinantur. Asseveratio autem quoquo modo fiat, est capite præcedenti demonstratum. Itaque nunc confutandi seu redarguendi ratio explicari sola à nobis debet.

Ad hanc igitur rem vehementer prodest, quidquid à Dialecticis vel Oratoribus ad confutandum, & ad diluendas argumentationes est utiliter proditum. Etenim qui falsa dogmata obtrudunt simplicibus, aut ferunt in Ecclesia, sæpenumerò deprehenduntur probationes planè falsas inducere in aciem, atque humanarum virium præsidio, machinisque se vel maximè tueri. Quocirca quisquis cum eis depugnabit, debet omni armorum genere atque certandi artificio, quo illi utuntur esse sic satis instructus.

Pluribus autem modis falsa dogmata redarguuntur, atque argumenta non consistentia, imbecilliaque labefactantur.

I. Prima igitur ratio hæc est, adversariorum verbosas, nempe quinque partitas, quadripartitas, similesque, & comptas probationes, perutile fuerit, ut investiges quid veri falsique habeant, syllogismis Dialecticis illigare. Hac namque via compendiaria, ecquid virii sive in forma, sive in materia argumentationis lateat, tum cito, tum certoque deprehendi potest. Quomodo autem dijudicanda sit forma, & ex iis quæ de conficiendis syllogismis, enthi-

me-

mematibus, aliisque argumentationum generibus sunt tradita, quomodo verò examinanda materia, ex locis inventionis, adjunctisque quas consequentiarum vocant regulis, affatim cognoscitur. Quod si igitur, in adversariorum probatione aliqua, peccatum vel in forma, vel in materia Concionator animadverterit, non dubitabit id in publico significare atque detegere, sic tamen ut artem omnem quoad fieri potest, quasi velo obtectam detineat. Si enim in propatulo visendum artificium dialecticum exhibueris, quod maximè fit vocabula ipsa artis è Schola in templum educendo, periculum sanè est, ne tuæ dilutiones peræque fiant suspectæ atque adversarii objectiones.

II. Secunda ratio ad existimandas, momentoque suo ponderandas rationes eorum qui falsa docent, ex disquisitione pendet paralogismorum, si qui forte immisceantur. Itaque videndum num in dictione paralogismus sit admixtus, nimirum ex æquivocatione, amphibologia, compositione, divisione, accentu, figura dictionis, vel num paralogismum contingat fieri extra dictionem, veluti cum afferatur fallacia antecedentis, fallacia consequentis, secundum quod dictum ut simpliciter non causa, ut causa petito principio. Interrogationes plures ignoratio elenchi.

III. Tertiò observandæ sunt insuper argumentationes captiosæ, quales sunt, Antistrephon cerativæ, crocodilites, utis, pseudomenos, cacosystata, asystata. Nam hæc incidere nonnumquam in perplexas disputationes solent. Atque hæc quidem omnia ad dilutionem dialecticis nostræ ætatis appellatam realem, requiruntur, quemadmodum in eorundem commentariis licet videre. Porrò Concionator illa quoque subindè adhibet in consilium, quæ pertinent ad dilutionem vocatam personalem, & ab Oratoribus plurimum usurpatam.

IV. Quartò igitur loco refellimus objectiones regeneratione, hoc est ostendendo, quod non deceat ab adversariis tales objectiones cavillatrices proferri, vel opponendo alias quæstiones æque in speciem nodosas. Quos

duos regestioniſ modos in Scripturis licet animadvertere : priorem habemus ad Roman. cap.9. *Dices ergo mihi Quid adhuc conqueritur ? nam voluntati illius quis resistit ?* Respondet Apostolus. *Atqui ò homo , tu quis es , qui ex adverso respondes Deo ?* Quamvis statim etiam subjicit aliam dilutionem directam. Posterioris exemplum extat Matthæi 11. Sacerdotes & Seniores populi dixerunt ad Christum : *Qua auctoritate hæc facis ? & quis tibi dedit istam auctoritatem ?* Respondit Christus : *Interrogabo vos & ego quiddam , quod si dixeritis mihi , & ego vobis dicam qua auctoritate hæc factam ; Baptismus Joannis , unde erat , è Cælo , an ex hominibus ?*

V. Quintò nonnumquam etiam elevatione evertuntur adversariorum dicta : perficitur autem hæc duobus modis , primò rejectione , cum videlicet objectio alterius ceu levis , & perquam infirma , cum significatione quadam contemptus vel indignationis rejicitur , ut Roman. 3. cum quidam dicerent , faciamus mala ut eveniant bona , redarguit eos Apostolus nihil aliud dicens , quam eorundem damnationem justam esse. Quæ verba ab animo commoto ob rei indignitatem profecta sunt. Secundò fit per imitationem , qua voces ac gestum adversariorum exprimendo , aut simili pacto eos irridemus. Hac forma utitur Apostolus Colos. 2. ubi contra eos qui adducere conabantur renatos in Christo ad observationem institutorum Judaicorum , ait , *ne tetigeris , ne gustaris , ne contractaris* , quæ omnia ipso perierunt abusu.

VI. Sextò aliquando & digressionem , qua nimirum à proposito fit excursus. Quamvis hac vix utetur Concionator alibi , quam ubi facilis & cujus exposita est factæ objectionis dilutio , aut forsitan incommodum aliquod redundaret in auditores ex uberiore rei tractatione.

VII. Septimò , si quæ præterea ab Oratoribus ad confutandum diluendumque conducibilia sunt prodita , ea sciet Concionator sibi communia cum illis esse debere.

VIII. Octavò, monstrat Theologia quoque nonnullas diluendi formas sibi quodammodo proprias, & multum frequentatas, quales hæ sunt.

I. Ab oppositione sententiæ Dei contra sententiam hominum, sive superioris contra sententiam inferioris. Quo quidem pacto Christus Matth. 15. infringit dogma ac traditionem Pharisæorum, opponendo dogma & verbum ipsius Dei, quando crimen impingit illis, quod propter traditiones suas transgrediebantur præceptum Dei.

II. A vera ac germana interpretatione Scripturæ, quæ ab aliis fuerat perversè proposita. Matt. 4. Christus ad id quod diabolus dicebat: *Si filius Dei es, præcipita te deorsum, scriptum est enim, Angelis suis mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne quando impingas in lapidem pedem tuum*, Respondit Christus, veram interpretationem adferendo: *Scriptum est*, inquit, *non tentabis Dominum Deum tuum.*

III. Ab abjectione vel oppositione ejus quod præcipue in re aliqua est considerandum. Cum diabolus dixisset ad Christum: *Si filius Dei es, dic ut lapides hi, panes fiant*, respondit Christus, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur per os Dei.* Adjicit scilicet Christus id ex quo vitæ nostræ sustentatio conservatioque præcipue pendet, atque alimento corporali opponit & præponit spirituale.

IV. A conciliatione locorum in speciem pugnantium, de qua copiose Augustinus libris de Consensu Evangelistarum, item contra Adimantum Manichæi discipulum.

IX. Quæneriam usui esse possunt, crebroque acomodantur ad redargutionem iidem loci quos ad astructionem veri dogmatis idoneos capite præcedenti recensuimus. Diligens lectio exploratioque confutationum, quæ in Libris Sacris sparsim occurrunt, plura huc pertinentia commonstrabunt.

Quemadmodum autem dilutionibus argumentorum

opportune & perapte subjiciuntur quæ animos excitant ad assentiendum, ita ad finem universæ concionis quæ fuerit ad redarguendum comparata, non inutiliter congeruntur rationes quædam suasoriæ, seu potius dehortatoriæ, quibus homines ab amplectendis falsis dogmatibus deterrentur, & ad studiosè cavendum sibi à contagio hypocritarum præmonentur. Tales sunt rationes ab inutili, ab injusto, à periculoso, & cet. Quibus damna incommodaque explicantur, quæ ex dissensionibus atque erroribus, cum publice ad Ecclesiam, tum privatim ad singulorum hominum conscientias dimanant. Qua in parte aspergere nonnulla licet ad movendos affectus idonea.

Ceterum sicut in præcedenti genere, ita in hoc quoque cautiones quædam sunt pernecessariæ.

I. Conabitur quidem Concionator studio adversariorum sophisticen, atque fraudes in lucem protrahere, sed eo artificio, ut ne ipse sophisticè uti vicissim conspiciatur. Veritatis oratio simplex esse debet. Etenim si nihil aliud quam sophisticè retundis sophisticen, juxta suspecta & invisà erit tua oratio, atque illorum quos impugnas. Judicabuntque auditores sibi spectaculo exhibitum nobile par sophistarum, tamquam si Prothagoram & Evathlum die sibi dicta in contentioso foro altercantes cernerent.

II. Videbit insuper Concionator, ne quid ex corrupto affectu pronunciare existimetur, quod genus est, si sibi vel sententiæ sive suffragantibus immodicè blandiatur, plus justo sua omnia commendet, aut si in aliquos adversarios nimis acerbè invehatur, quasi odio personarum, magis quam studio propugnandæ veritatis accensus foret. Præstringere quidem personas licet, nonnumquam etiam acriter, quo pacto à Christo tractari videmus Pharisæos, sed non est prætermittenda gravitas, cui conjunctum esse decet studium Dei, idque ut Apostolus loquitur, *secundum scientiam.*

III. Toti vero concioni maximam inesse decet mode-

rationem, ex qua intelligere omnes queant serio quar-
torum qui à veritate aberrarunt salutem, ac resipis-
centiam, non damnationem: bonus Pastor omne con-
sillium eo dirigit, ut errantem oviculam ad caulas re-
ducatur.

Exempla concionum hujus generis redargutivi multa
extant. Isaia 8. reprehenduntur Judæi, quod plus nite-
rentur auxilio humano quam divino, quando foedus ini-
bant cum Idolatris Ægyptiis. Idem cap. 28. contra eos
concionatur, qui humanas traditiones urgebant præ le-
ge ipsius Dei. Rursus cap. 29. 31. contra eos qui fidu-
ciam collocabant in ope humana, Deum vero invocare
negligebant. Item cap. 44. 46. 47. gravibus argumentis
confutatur Idololatria, cap. 66. Hypocrisis atque hypocri-
tarum observationes. Ab Evangelistis describuntur plu-
res conciones, quibus Christus exagitat pleraque falsa
Pharisæorum dogmata. Matth. 5. 6. 7. illorum destruit
Christus sententiam, qui justitiam Deo acceptam aestimari
volebant ab externis tantum actionibus, de interna ve-
ro justitia mentis, quam Deus in primis requirit, silen-
tium faciebant. Matth. 12. rejicit præposteram Pharisæo-
rum interpretationem de sanctificatione Sabbati, & qui-
bus in rebus hæc sita sit declarat. Cap. 15. evertit falsas
persuasiones de ablutionibus, de ciborum delectu. Cap. 22.
disputat contra Sadducæos negantes resurrectionem mor-
tuorum. Cap. 23. varia placita Pharisæorum oppugnat,
objurgans illos ac dira interminans. Confutatio in Epistola
ad Roman. cum plena sit artificio, exempli causa merito
proponeretur, nisi ad Scholasticam docendi rationem,
tota illa disputatio propius quam ad popularem accede-
ret. Quamquam exhortationes ad singulas prope dilutiones
adjecta populariter docentibus sunt cum primis accommo-
da. 1. Corinth. 8. 9. 10. redarguit Apostolus eos qui li-
bertate Evangelica abutebantur, cum infirmorum fra-
trum offendiculo. Cap. 15. validis argumentis eos pros-
ternit, qui mortuorum negabant resurrectionem.

Chrysostom. Tom. 5. Homilias duas elegantes reli-
quit. 49. & 50. de his qui gehennalem poenam non credunt.

Eodem pertinet pars postrema Homil. 21. in qua contra eos disserit qui vaticinia & incantationes sectantur. Non dissimilis argumenti Homilia legitur, Tomo 6. cui titulus, de Præmiis Sanctorum & de gehenna. Ex his verò omnibus perspicuum fit, quæ ab Oratoribus adscribuntur generi judiciali ad statum finitivum pertinentia, ea referri debere ad hæc duo genera hætenus exposita, didascalicum inquam, & Elenchicum. Quoties enim, cumque de dogmate ullo quæstio incidit, sane ut definias verum ne sit, an falsum, atque quod verum est fulcias, quod falsum subvertas, necesse habes, quæ de duobus hisce generibus tradidimus in consilium advocare.

CAP. IV.

DE GENERE INSTITUTIVO.

UBI DE PANEGRICIS, ET FUNEBRIBUS
Concionibus.

AD Genus Institutivum spectant in primis omnia, quæ Rhetores collocarunt in genere deliberativo. Etenim suasiones, exhortationes, admonitiones, nullus non intelligit ad vitam hominum rectè instituendam in justitia tendere, quemadmodum suprà quoque indicavimus. Quæ præterea generis sunt demonstrativi, atque encomiastici, ad hanc classem rediguntur. Quando enim contingit in coetu Ecclesiastico laudari, vel personam, ut Abrahamum, Jobum, vel factum, ut invictam fortitudinem & constantiam in confessione veritatis Machabæorum, vel rem quampiam, ut beneficentiam erga pauperes, hospitalitatem, concordiam, prophetiam, jejunium, orationem, nemini dubium est, idcirco præcipue ista fieri, quo auditores, aut ad imitationem in communi vita, aut certè ad laudandum Deum qui res præclaras per electa sua organa perfici voluerit, provocentur. Quinetiam, ad hunc transcri-

cribentur ordinem *doxologiae*: sic namque appellabant breves exhortationes, quibus olim solebant Præsules in Ecclesia excitare populum ad agendas Deo pro acceptis beneficiis, tam spiritualibus quam corporalibus, gratias. Itemque orationes funebres, quibus laudantur utcumque personæ quibus vita sanctissime acta est, & de quibus testimonium ferre Ecclesia jure potest.

Porrò haud difficile est locos qui diversis hisce concionum formis conveniunt, numerato recensere. Si igitur, animus est suadere auditoribus, ut aliquid approbent, vel efficiant, veluti ut procurent extrui xenodochium peregre adventantibus pauperibus, vel collectas fieri diebus festis ad liberandos captivos fratres, vel ut collaborent ad erigendam collapsam Scholam, ad restituendam censuram Ecclesiasticam, quam vocamus excommunicationem, ut recipiant in gratiam eos qui magnarum & publicarum offensionum fuere auctores, &c. ab his locis argumenta duci poterunt.

Ab honesto, A justo & æquo, A pio, Ab utili, A tuto, A decore & laudabili, A necessario, A facili seu possibili. Ut autem aliquid demonstrètur, justum, pium, laudabile, necessarium, plurima depròmi firmamenta possunt ex refertissimo fœnu arcanarum litterarum, & ex gestis martyrum & aliorum Sanctorum, quæ quo libuerit ordine disponentur. A præcepto Dei, à promissionibus Dei, à consilio Sanctorum Prophetarum, vel Apostolorum, qui simile quiddam visi sunt suadere. Ab exemplis & factis ipsorum Sanctorum, à mercede obedientiae legis præscripta. Ab utilitate, quæ redibit ad piorum animos, vel ad universam Ecclesiam. Ab illustratione amplitudinis & gloriae Dei, quando videlicet demonstramus ad celebrandam Dei gloriam, sanctificandumque ejus nomèn in terris, id quod proponimus mirifice cessurum.

Ab ædificatione aliorum, cum factum illud dicimus multis aliis profuturum, ut in pietate confirmentur. Nam hi & similes loci plures, Theologiae sunt quasi domestici & contubernales: Oratoribus verò peregrini, si eadem inquam oratione tractentur, qua in Libris Sacris tractati conspiciuntur,

Jam verò exhortari vel admonere si libet, habentur & hic certi loci ad manum. A laude rei de qua agitur, vel etiam personarum quas cupimus commonefacere, ita omnia quæ Apostolus sæpenumero laudando excitat.

A spe successus: Deus namque piorum conatibus libenter aspirat: à expectatione publica aliorum fratrum, vel etiam Ecclesiarum.

A gloria expectanda, tum apud Deum, tum apud homines. Nam veritatis testimonium ab honestis hominibus petere, honestum est. Et elaborare omnes in id debent, quo omnibus bonus odor Christi sint. Omnes decet pariter per bonam famam, & per infamationem proficere, atque quæ Jesu Christi sunt promovere. Atqui gloriolæ captandæ apud homines nemo pius valde inhiabit, multo minus in illa parta acquiescet, idque ne dum gloriam temporariam refert ab hominibus, spoliatur gloria ampliore, qua frui debebat apud immortalem Deum, immortali.

A metu ignominia: objicî namque posset eis quod in Christo non proficiant, sed potius à Christo deficient, qua macula aspergi videmus ab Apostolo Galatas, quos non dubitat appellare stultos.

A certitudine & magnitudine præmiorum, quæ tam in præsentî, quam in futura vita nos manent. Nam utriusque generis promissionis sunt pietati propositæ. Atque hic iterum efficaces sunt loci quos paulo ante recensui, nempe, à præcepto Dei, à promissionibus Dei, à comminationibus Dei, à consilio Sanctorum, ab exemplis factisque eorundem, à comparatis, &c. Quid, quod à causis, à circumstantiis argumenta non levia peti possunt, quando in his crebro multa latent, quæ ad excitandos animos momentum haud parvum adferunt. Nec prætermittetur hic artificium movendorum affectuum. Etenim ad amorem virtutum, ad odium vitiorum, ac misericordiam erga indigne oppressos, ad indignationem adversus contemptores virtutum, ad ardens alicujus rei studium, si cupis multitudinem inducere, officii tui fuerit admovere omnes artis & gratiæ dicendi machinas. Huc denique per-

tinēt etiā communicationes, observationes, contestationes, & similes figuræ, qualibus subinde videmus usos Prophetas atque Apostolos.

Porrò laudaturus aut personam, aut factum, aut rem, sciet paulò aliter instituendam sibi orationem in templo, quam Rhætorum natio solet pro rostris, aut in Scholis. Nam hi quidem ad laudandam personam, hos oculis præfigunt locos, nationem, patriam, genus, prodigia vel miracula, quæ nativitatem antecesserunt, nomen, bona corporis, ut formam, robur, dignitatem oris. Deinde educationem, studia, artes: tum bona animi, ut ingenium, docilitatem, sagacitatem, prudentiam, mansuetudinem, sobrietatem, gravitatem, constantiam, fortitudinem, pietatem, studium religionis: hinc vitæ genus, conditionem. Item bona fortunæ, ut opes, amicitias, hereditates: itē res gestas publicè & privatim, mox præmia rerum gestarum, ut honores, munera, triumphos, denique acta senili ætate, mortem, vitæ exitum, opinionem post mortem, prodigia sive signa mortem antecedentia aut consequentia. Hoc inquam pacto solent Oratores, per omnes ætatis gradus decurrere. Interdum verò distribuunt illos locos hoc ordine, ut dicant primum de bonis corporis, proximè de bonis fortunæ, postremò de bonis animi.

Atqui Concionator in toto hoc genere multum dispari utitur consilio. Primum quidem Ecclesiæ superstitēs & ad omnes casus tentationum atque peccatorum adhuc objectos persequi laudibus (quemadmodum fecere Oratores editis panegyricis & encomiis) non consuevit, iudicans scilicet id esse aut adulantium, aut triumphum apparantium ante victoriam, quorum illos turpiter, hos verò stolide agere palam est: sed eos tantum extollit, & prædicat, qui jam in beatorum sodalitatem commigrarunt. Deinde celebraturus Concionator alicujus beati laudes, de illis quos enumeravimus locis agit valde tenuiter, imo à bonis corporis fortunæque tantum abest, ut laudationis summat materiam, ut ea vix attingat, aut si attingat, obiter tamen, ac non nisi ut cursim doceat, quod beatus ille

bonis ejusmodi confisus aut abusus non fuerit. Ad hæc frequentissime caput aliquod de Sacris Scripturis in cœtu publico recitatum Concionator enarrat, in quo & diutiuscule hæret, tandem verò sensum unum, aut duos, certe vix numquam supra tres locos, de vita ejus qui in divorum numerum est relatus, aggreditur, in his virtutes illius aliquas magis conspicuas commendans. Postremo majori studio ad id contendit Doctor Ecclesiasticus, ut ad corrigendos corruptos hominum mores, & ad informandas in animis auditorum veræ pietatis notiones, præterea ad illustrandam cælestis patris gloriam dirigat, quæ docet omnia, quam ut admirandum, suspiciendum, colendumve, beatum illum reddat. Etenim duplicem scopum debet qui in laudatione alicujus divi occupatur, sibi præfigere. Alterum ut auditis Sanctorum hominum sanctis atque præclaris actionibus provocentur pii auditores ad laudandum & celebrandum Deum, qui dignatus sit, illos eligere ac vocare, magnasque res per eosdem perficere, quo sanctificaretur, & celebraretur in terris ejus nomen. Alterum ut multitudo ad præclare factorum imitationem permoveatur. Uterque hic scopus clare in Scripturis proponitur. De priore Christus ait. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentque Patrem vestrum qui est in Cælis.* Ad Galat. 1. Apostolus: *In me inquit, glorificabant Deum, qui fidem prædicabam, quam ante fueram hostiliter persecutus.* De posteriore itidem Christus, Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Item 1. Cor. 11. Paulus ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hebr. 13. *Memores estote eorum qui præsent vobis, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum imitemini fidem, considerantes qui fuerit exitus conversationis illorum.* Hactenus de personarum sive divorum laudibus.

Ceterum pro concione laudare factum quisquis desiderat, ut factum Josiæ Regis confringentis idola, atque instaurantis verum Dei cultum, aut Eliæ fortiter decertantis adversus Sacerdotes Baal, aut Machabæorum mortem oppetentium pro veritatis ac legum divinarum digni-

tatè , aut eorum qui paulò ante hæc tempora curarunt modis omnibus promoveri in Ecclesiis sinceram doctrinam , sublevari pauperum inopiam , &c. demonstrabit sane factum ejusmodi honestum , justum , pium , utile , laudabile , verbo ac voluntati Dei consentaneum. Præterea ex causis & circumstantiis amplificare non negliget : sed præcipuus labor ponetur in exhortationibus ad imitandum , vel si eadem facerè auditores utcumque fuerint jam aggressi , ad pergendum in bene cœptis. Integra maneat sua benefactis laus , atqui prima cura suscipi debet de auditorum utilitate atque profectu. Quo circa ea in primis benefacta prædicari buccinarique expedit , ad quæ maximè cupimus , habita temporis & status Ecclesiæ ratione , eos qui nobis concrediti sunt erudiendi extimulare.

Rerum laudandarum eadem prorsus est ratio quæ laudandorum factorum , atque iidem utrique instituto loci aptari inveniuntur. *Honesta* autem ac justitiæ conjuncta res est , quæ Deum habet Auctorem , quæ à Deo est præcepta , quam idem cohonestat variis promissionibus , ex qua cognitio quam de Deo habemus incrementum capit vel adminiculum. *Pia* est , quæ conducit ad excitandos animos , ad studium pietatis , vel qua pietas declaratur. *Utilitas* latè deducitur , utile in primis est , quod prodest ad illustrandum sanctificandumque in terris Dei nomen. Deinde ex quo commoditates etiam dimanant ad miserum genus mortaliū. Alia insuper commoditas toti communis est Ecclesiæ , alia singulis privatim credentibus. Rursus quædam posita est in bonis spiritualibus & internis , quædam in bonis corporalibus & externis. Sed nequam necesse est locos omnes hunc in modum partiamur. Laudari autem in Ecclesia solent , verbum Dei , assidua lectio & meditatio ejusdem , varia vitæ genera , ministerium verbi , virginitas , conjugium , sacramenta , opera , vota. Item dona quibus Deus dignatus est Ecclesiam suam exornare , qualia enumerantur Rom. 12. 1. Corint. 12. Ephes. 4. Laudantur denique eleemosyna , hospitalitas , patientia , & alia misericordiæ opera ad salutem necessaria.

Quod

Quod ad conciones funebres attinet, quid à præscis Patribus factitatum, quid verò Ecclesiarum, ac Religionis nostræ decus postulet, præcisè indicabimus. Extant orationes funebres in operibus Gregorii Nacianzeni variæ, ut illæ in funere habitæ Basilii Magni. Item Athanasii Alexandrini, præterea in funere Patris sui Gregorii, fratris sui Cæsarii, sororis suæ Gregoniæ. Ambrosius tales orationes duas reliquit, alteram de Imperatore Theodosio, alteram de Valentiniano. Quemadmodum autem apparet Patres illos exemplum hoc habendarum orationum in exequiis mutuatos à Gentilibus, quibus legimus morem fuisse, ut viros præsertim illustres pro concione cum persolvebantur justa laudarent, ita ad eorundem quoque accesserunt consuetudinem, quando veluti Insistentes præceptis Rhetorum de laudibus personarum, de ejus vita qui in Domino obdormivit pluscula recensuerunt, omnia à pueritiâ inde ad senectutem usque repetentes. Utrunque revera Gentilitios ritus redoler. Atqui nostræ ætatis Doctores Ecclesiastici hæc in parte meo judicio sincerius & religiosius agunt, qui si quando exequias concione cohonestant, non pertractant laudationes affabrè coagmentatas, sed alios locos multò saluberrimos & ad institutionem auditorum accommodatissimos, quales hi sunt, de præparatione ad mortem, de morte quod sit pœna peccati, de vitæ humanæ ærumnis, de liberatione ab illis per mortem, de contemptu mundi & rerum terrenarum, de expetenda felicitate vitæ sequentis, de animorum immortalitate & æterna beatitudine, de resurrectione corporum, de extremo judicio, de reddenda in eodem ratione omnis vitæ anteaactæ, de mercede operum retribuenda, de damnatione malorum, de Dei misericordia omnibus peccatoribus vel in extremo vitæ respicientibus exposita, item quod non sunt immoderate deplorandi lugendique mortui, sed potius agenda Deo gratiæ, qui dignatus est eos è terribili corporis ergastulo eripere, quod præiosa sit in conspectu Dñi mors Sanctorum, quod beati sunt omnes quibus datur in Dño. jam in confessione veræ fidei & bonis operibus obdormire; & quis enu-

enumeret reliqua? Quod si post hos locos expositos liber de fratre qui elatus est, aliquid dicere, tum addunt breviter & quasi verecundè nonnihil de genere vitæ quod amplectebatur, atque docent quomodo in eodem Deum religiosè coluerunt, quæ sui erant officii naviter præstando. Ex quo audirores quoque discunt quanta industria incumbere unumquemque deceat, ut in sua vocatione, ac vitæ genere Deo fiat acceptus.

Fortassis etiam unam alteramve virtutem, qua frater ille excelluit, vel confessionem fidei in ipsa lucubratione, cum morte editam commendant, atque proponunt superstitibus imitandam. Porrò *doxologia*, quorum ante fecimus mentionem, non sunt nunc in usu. Consumeantur autem totæ in prædicatione & commendatione divinæ bonitatis erga genus humanum, atque præmittébantur olim in sacro cœtu, quo populus erectioribus animis majorique religione caneret Hymnos Sacros Deo, necnon gratias pro acceptis amplissimis beneficiis, cum spiritualibus, tum corporalibus, ageret. Interea autem sæpè nunc concionum Patribus prædicatur eodem pacto Dei benignitas, clementia, justitia, severitas, ira, potentia, providentia, aliaque attributa, & quidem quo homines ad gratiarum actionem, ad aversandum peccata, ad resipiscentiam, ad vitæ emendationem, ad fiduciam collocandam in Deum adducantur. Quomodo autem absolvi hæ partes debeant, ex iis quæ dicta sunt cognosci potest. Sit igitur satis de his omnibus hunc in modum admonuisse, nunc cautiones nonnullas, & mox exempla subjiciemus.

I. Prima cautio, ne meditetur Concionator persuadere ulla multitudini, nisi quæ necessaria sunt, atque præsentem ostendunt utilitatem.

II. In suasionibus seu exhortationibus eluceat in dicente libertas conjuncta candidæ simplicitati. Illa pondus addit, vehementerque afficit, hæc amolitur omnes suspiciones, ut neque nimis callide casum agere Concionator existimetur, neque privatum commodum usquam spectare. Student nonnulli quædam promovere, artificioso

seque obtendunt quoddam religionis velum, sed paulatim deprehenduntur suo magis lucro, quam pietatis negotio consultum cupere. Quales artifices heu nimium multos nostra vidit ætas, quos successus palam comprobavit, pinguem aqualiculum voluisse saginare, & lucrari, non animas Christo, sed pecunias suo Deo inexplebili ventri.

III. Eadem ratione cavebit ne in suadendo usquam advertatur se præter decorum submittere, quod sane est non cum gravitate docentium, sed magna cum levitate adulantium. Qui docet multitudinem, debet in auctoritate tuenda, non esse negligens.

IV. Ut præterea ab exhortationibus abesse debet agrestis asperitas, ita dabitur quoque opera, ne molliculi, lenti, frigidi, aut timidi appareamus.

V. Qui verò celebrare laudes aliquorum Divorum, tempore ita postulante, instituit, prudenter id aget, necnon consultò debitabit historias fabulosas. Nonnullæ historiæ Divorum circumferuntur prorsus insulsæ, quædam etiam palam reprobata, quod videre licet *Distinct. 15. cap. Sancta Romana*. Paulus Apostolus ad Roman. 15. refert se virtute Christi multa signa & prodigia passim edidisse, quorum Lucas in Actis, quam paucissima attingit. Sequamur ergo & nos hoc Lucae exemplum.

VI. In Sanctorum & rerum laude, ne quidquam ad gratiam dicatur. Sicut rebus ceteris, ita laudationibus modus, atque mensura præfigi debet.

VII. In omni verò laude ab iis abstinendum comparationibus, quæ invidiam conflare possunt. Solent namque comparationes plerumque odium & offensionem conciliare, quamobrem non eadem ratione adhibentur rebus sacris, quam prophanis.

VIII. Eadem autem modestia ac prudentia oportet progredi in concionibus funebribus, in quibus aliquid ad laudem ejus qui vitam hanc umbratilem deposuit, inseritur. Si quæ præterea in his omnibus observanda erunt, ipsa circumstantiarum & causarum consideratio facile suggeret.

Nunc

Nunc exempla hujus generis concionum adnotemus. Isaïas cap. 49. suadere nititur omnibus hominibus ut Evangelium, & filium Dei Jesum Christum amplectantur, atque ita inserantur Ecclesiæ. Suasoria concio extat Jeremiæ 27. ubi Propheta suadet Judæis, ut si salvi esse velint, se Regi dedant Babylonio. Idem cap. 29. suadet agentibus in Babylone, ne res novas moliantur. 1. Corint. 16. & 2. Corint. 8. suadet Apostolus Corinthiis, ut eleemosynas colligant, mittendas Hierosolymam. Chrysostomus Tomo 6. Homilia 17. suadet recipiendum esse Severianum Episcopum, cujus argumenti ratio explicatur Tripartitæ histor. lib. 10. cap. 10. Homil. 20. suadet populo ne commoveantur, si contingeret ipsum expelli, Hortatorias seu monitorias conciones multas Sacri Libri offerunt. Vide Isai. cap. 40. 55. 56. Item Hieremias cap. 3. 4. 18. 33. 44. hortatur ad pœnitentiam, cap. 22. hortatur regem ad colendam justitiam: nullus ferè est Propheta in quo non possis, etiam plures adnotare. Variæ etiam conciones Christi huc pertinent. Mar. 9. hortatur Christus omnes ut caveant, ne cuiquam offendiculum præbeant, cap. 10. incitat unumquemque ad abnegationem sui ipsius, cap. 12. monet ut vitentur Pharisæi. Chrysostomus Tom. 5. deinde & 6. diversis concionibus hortatur ad pœnitentiam, ad charitatem, ad beneficentiam in pauperes, ad contemptum rerum terrenarum, gloriæ, & honoris, &c. Gregorius Nacianzenus insignem orationem edidit de juvenibus pauperibus.

Laus personæ conspicitur tractata Isaïæ 42. ubi Cyrus Rex Persarum commendatur, atque eo quidem magnificentius, quod typum Christi gereret. Christus Lucæ 7. laudat Joannem Baptistam. Chrysostomus Tomo 6. Homilia 5. concionatur de Jobo. Sexta, de Elia. Septima, de Machabæis. Octava, de Tribus pueris conjectis in fornacem ardentem. Nona, de Susanna. Tomo 8. de Juventio & Maximo martyribus. Nacianzenus item de Cypriano & Machabæis.

Laus facti quomodo adornanda sit, addisci potest ex Epistola ad Philip. & priore ad Thessalonicenses. Nam
hos

hos laudat Apostolus, quod constantes in confessione veritatis perseverarent, neque se à veritate abduci præsigtis aut captionibus ullis pseudo Apostolorum paterentur. Chrysostomus plenis concionibus celebrat hospitalitatem Abrahæ, patientiam Job, atque aliorum Sanctorum præclara facta. Huic quoque ordini accensebitur ex Tomo 5. Homil. 6. de Episcopo Flaviano legationem obeunte pro Civitate Antiochena ad Imperatorem Theodosium, ubi pariter & Episcopi & Imperatoris factum extollitur. Homil. 9. commendantur qui abstinerunt à juramentis. Homil. 10. qui post cibum sumptum ad sacram concionem audiendam confluebant. Nacianzenus de pace & reconciliatione partium dissidentium facta, tres elegantes sermones edidit.

De laude rei exempla hæc sunt. Psalm. 119. continet encomium legis & verbi Dei. Psal. 87. encomium Ecclesiæ, 133. Concordiæ. 1. Corinth. 12. 13. 14. laudantur dona, in primis prophetia (quæ est facultas interpretandi Scripturas) & charitas. Chrysostomus Tomo 5. laudat eleemosynam in Homilia qua docet illam esse artem, & quidem omnium artium quæstuosissimam. A Tertuliano & Cypriano justis concionibus laudatur patientia. De orationibus funebribus suprâ quod satis est diximus.

Doxologia agnosci possunt, quæ habentur Isaia 12. 25. Item plerique Psalmi pro gratiarum actione decantati, præ ceteris verò accomodatissimi sunt quibus totus cœtus ad gratias agendas laudandumque Deum invitatur, quales sunt Psalm. 81. 92. 93. 95. 96. 98. 99. 100. 103. 104. 105. Chrysost. Tom. 5. Homil. 11. excitat ad gratias Deo agendas pro liberatione è periculis quæ metuebantur ob seditionem. Homil. 12. pro venia impetrata ab Imperatore Theodosio. Item Tomo 6. Homilia 29. quam habuit à reditu suo ab exilio.

CAP. V.

DE GENERE CORRECTORIO.

Quemadmodum genere concionum redargutivo propriè confutantur, emendanturque errores omnes in dogmatibus positi, ita genere Epanorthotico seu correctorio reprehenditur & castigatur si quid usquam peccatum est in moribus, vel ritibus. Itaque omnes orationes institutæ ad revocandos homines ad vitam meliorem, vel ad tollenda iniqua instituta, ad damnanda vitia quæ irreperunt, huc pertinent, sive constant eæ suasionibus, dissuasionibus sive dehortationibus, sive vituperationibus. Nam his omnibus formulis utimur volentes hominum mores corrigere. Enimverò suademus & hortamur, ut omissis vitiis amplectantur virtutes, dissuademus ac dehortamur ab iis quæ sunt improbanda. Præterea vituperamus personas vitiis obnoxias, earumdemque consuetudinem omni studio vitari docemus ac præcipimus, vituperamus indecore vel turpiter facta, vituperamus res ipsas, nimirum cujuscumque generis peccata. Affines huic generi meritò censeantur orationes investivæ. Quid enim aliud hæ continent quam graves iniquè factorum correctiones seu reprehensiones? Tales autem extant duæ à Gregorio Nacianzeno editæ in Julianum. Ejusdem styli est oratio Chrysostomi de Babyla martyre, utpote in qua plurima etiam adversus eundem Julianum, quæ tamen oratio non Homiliæ, sed libri inscriptionem habet. Etiam si judicare forsitan aliquis queat alia scripta non ad correctionem aliquorum qui peccarunt tendere (quomodo enim corrigatur qui præcipuè ibi impetit quando constat scelestum illum miserando ac turpi vitæ fine jam tum impietatis suæ dedisse pœnas?) sed magis ad consolationem piorum, qui gaudere & gratulari debeant, se à non minus callidi quam crudelis hostis tyrannide semel divina providentiâ liberatos. Ce-

terum quacumque ratione correctionem libet instituire, sive dissuadendo, inquam, sive dehortando, sive vituperando, sive quocumque alio modo, iidem plane loci usui esse poterunt, qui in præcedentis generis singulis partibus sunt ordine recitati. Tantum illud factum opus est, contrariam ut in partem omnes defleantur. Etenim ubi suaderi aliquid diximus, ab honesto, à justo, & æquo, à tuto, à facili, atque ita deinceps.

In hoc sane concionum genere haud magno negotio aliquid dissuadēbis, si comprōbes id esse inhonestum, injustum, iniquum, periculosum, difficile, &c. Eadem progrediendum erit via in dehortationibus & vituperationibus. Etenim ubique loci illi, quos superiori capite digessimus, contraria ratione expositi adhibebuntur. Et profectō quisquis propositum vel factum suum talibus improbari argumentis, damnarique audit, fieri non potest quin tacite commoveatur, & paulatim quasi percussus animo, totum se submittat prosternatque. Quod ubi fit, spem bonam licet de eo concipere, quod propediem renuntiaturus malè coeptis, atque in rectam viam rediturus sit. Siquidem hic omnium correctionum scopus esse debet, ut videlicet homines peccata sua, eorundemque magnitudinem & foeditatem agnoscant: his verò agnitis, salutem suam curæ habentes, vitam emendent. Quare quacumque ad hunc finem adjuvant, sive ea tradita sunt in Commentariis Rhetorum, sive monstrata in Libris Sacris Theologorum, opportunè & rectè omnia huic concionum generi accommodabuntur. Cetera quæ in hoc genere observare, atque observando notare necesse est, partim ex iis quæ capite præcedenti à nobis dicta sunt, partim ex cautionibus insequentibus intelligentur.

Quia verò multa in eo requiruntur, necnon prudentia haud vulgari ei opus est, qui peccata vult cum fructu aliquo reprehendere; ideo necessum est plures cautiones hic adscribamus. Prima erit de sollicitudine atque fervore, qui in Concionatoribus primo loco inesse debet.

I. Principio quidem sapè, & toto quod dicitur pectore, cogitabit Doctor Ecclesiasticus bonam muneris sui partem in vitiorum reprehensione sitam esse, ac se tum demum fidi Pastoris probè fungi officio, cum omni providet diligentia, ne scabiè, aut pruriginè unius alicujus porci grex totus in agro Dominico inficiatur: profectò enim quòd olim ad Isaiam, cap. 58. dixit Dominus, *Gloria ex gutture, ne parcas, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo iniquitatem eorum*, id etiamnum hodie ab eodem Domino sibi dici omnes Concionatores debent judicare. Credo autem ad explendum officium quasi stimulos posse sibimetipsis Concionatores admove-vere, si gravem illam obrestationem Pauli Apostoli ad Timotheum ante oculos descriptam crebro intueantur, eamque ad se singulos interpretentur privatim factam, imo vivam tanti Apostoli vocem quotidie omnique momento suis auribus ducant insonare. Sic autem Apostolus ait: *Obtestor ergo coram Deo & Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in apparitione sua, & in Regno suo, prædica sermonem, insta tempestive, intempestive, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina.* Certum est cujus animo hæc verba observabuntur, non facile eis committi, de se dicere ut quisquam queat, quod vel metu periculi, vel spè ullius commoditatis, in objurgandis damnandisque sontibus segnis sit. Qualem autem esse eum oporteat qui cum gratia & auctoritate istud faciet, nunc indicabimus.

II. Interest quidem cujusvis Concinatoris libere ac severiter vitia carpere, sed non ferè alii pro dignitate ac decore facient, nisi qui in aliqua sunt apud multitudinem existimatione. Tales autem sunt in primis senes, ipsa ætate omnibus venerandi, & qui in publicis aliquando versati negotiis multarum rerum usum creduntur consecuti. Post hos qui eximia vitæ puritate sunt commendati, atque culpa omni ipsi vacant. Qua autem fronte alios incusabunt, quos priorum scelerum conscientia pudore afficit? Dehinc quorum excellens eruditio promeretur, fides ut orationi eorum in omnibus habeatur: quibus duobus vir-

rutibus, eruditione inquam, & innocentia claruit, Timotheus, licet juvenis. Postremò in quorum sermonibus potentia spiritus sese patentius exerit. Sequitur de tempore quo vitia arguere convenit.

III. Et quidem tunc taxari exagitarique peccata oportet, quando aut locus Scripturæ, qui enarratur, aut status Ecclesiæ seu multitudinis mores, id postulant. Quo enim tempore incipiunt grassari in multitudine certa vitia, in iis reprimendis Doctor Ecclesiasticus tempestivè ac totus occupabitur: prius curandum est cacoethes, quam in carcinona insanabile excrescat. Sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Ac graviora quidem mala studebit medicus animarum resecare primo loco, hinc descendet ad leviora. Nunc quæ præcipuè carpenda veniant.

IV. Nullum peccatorum genus est, in quo liceat conivere, seu quod præteriri sine reprehensione queat: itaque acriter quidem incessere ac detestari par est. Duo valde sunt atrocita, sed producentur illa quoque ad Ecclesiæ tribunal, atque in quæstionem postulabuntur, quæ leviora vulgus existimat, ne reputat tanta esse, quanta revera sunt: dicendum autem est adversus ea diligentius & vehementius, quæ magis invaluerunt apud multitudinem, & à quibus graviora pertimescimus damna. Sequuntur pleraque de reprehendendi modo.

V. Quando autem libet vitia arguere, ante omnia opus est, præmitti doctrinam ac rationes certas, è quibus homines, quamlibet agrestes intelligere queant quæ abs te reprehenduntur, esse peccata perquam gravia, necnon damnationem æternam adferentia. Etenim imbecilla est reprehensio seu objurgatio, quæ non nititur verbo Dei, viresque ab eo accipit. Atque id est quod sibi vult Apostolus, quando postquam dixerat, argue, increpà, exhortare, sapienter adjicit, id faciendum adhibita doctrina.

VI. Aliam autem correctionem institui debere acerbiorè, aliam moderatiorem, partim pro genere crimi-

num, partim pro hominum qui eisdem criminibus illaqueati atque irretiti tenentur conditione & frequentia, per se notum est. Ut non dicam quod in concionibus Prophetarum & Christi eandem licet rationem observare. Qua prudentia opus est, ad profligandos morbos corporum, eadem planè requiritur ad depellendas animorum ægri tudines. Sed exprimere insuper nos decet, ubi objurgationi mitiori, ubi asperiori locus dabitur: de illa igitur prius.

VII. Sunt verò nonnulla crimina de quibus emendandis satis fuerit placidè & amanter auditores admoneri. Quod genus est, si quis dicat contra affectionem novi & peregrini vestitus, contra neglectum levicularum traditionum Ecclesiasticarum, &c. Quæ plerumque sunt paucorum & nequaquam censentur inter perspicua ac grandiora vitia. Si quis tragicis clamoribus aut sævis objurgationibus hæc velit insectari, efficiet ut non modo insulsus populus, verumetiam viri cordati domum reversi, in colloquiis suis citius rideant, quam de emendando cogitent.

VIII. Quantumvis autem sit placida ac levis exhortatio, at cavendum, ne quid in ea resipiat peccatorum extenuationem. Horrendum revera peccatum est, peccatum oratione elevare.

IX. Sed & illud præcavere decet, ne dum blande moves atque etiam extenuationem devitas, sic interim peccatum suis depingas coloribus, ut tacitè animos audientium titilles, & quasi prurites ad concipiendam quamdam, aut peccandi novam cupiditatem, aut ex peccato nuper admissio voluptatem. Invenias qui mirifice delectantur ubi lepidè vitia ea describi audiunt, quibus sese addictos norunt. Jam de objurgatione acriore.

X. Egent pleraque peccata severiore increpatione, in primis illa, quæ apertissimè pugnant cum Decalogo, quæ multiplicem præbent offendiculorum materiam, quibus quamplurimi cujuscumque ordinis homines implicantur, quæ denique credibile est sine acri medicamine, & quod dicitur sine ustione aut sectione haud posse tolli.

XI. Numquam tamen in tota hac actione, sic is qui dicit excandescet, ut modestiæ oblitus, aut magis hominum quorundam quam vitiorum odio rapi existimetur. Vidimus aliquando quosdam, voce, vultu, oculis, totius denique corporis habitu foedè se ipsos deformantes. Deinde agrestibus, vociferationibus implentes omnia, tandem & descendentes præ animi impotentia de suggesto, aut certe immemores eorum omnium quæ paulo ante dixerant, non valentes ad institutum regredi. Metuebant videlicet auditores, ne apoplexia aut simili malo illi è vestigio corripereentur. Atqui an non hoc erat majori quodammodo insania aliorum insaniam velle castigare?

XII. Est & hæc prudentia Concionatori oppidò necessaria. De quibusdam vitis poterit apertius crassiusque disserere, veluti ubi invehitur in homicidam aut ebriosum, rectè explicabit, atque describet illius crudelitatem, & hujus turpitudinem. De quibusdam verò nullo pacto pluribus verbis aget, sed cum gravi detestatione atque horrore ea veluti extremis digitis tantum perstringet, non demonstrans, quomodo perficiantur. In quo genere sunt ferè omnia peccata stupris, libidinibusque cognata, procuratio sterilitatis vel abortus, usus fuci quo mulieres sibi formam conciliant. Item artes fraudulentæ quibus venaliti, mercatoresque adulterant merces, addunt his colorem, pondus, ceteraque propè infinita. Hæc sanè exponere consultum non est, ne quæ studeas vitia extirpare, eadem ipse multorum qui antea prorsus ignari fuerant animis primus inferas.

Distinguiamus nunc hominum genera, ut in quos præcipuè oburgationum jacula & fulmina justum sit frequentius emittere, perspicuum evadat.

XII. Quemadmodum nullum hominum ordinem solutum à cupiditatibus, liberum à delictis esse constat, ita Concionator, quorumvis sine exceptione hominum flagitia accusare ne quidquam pigrabitur. Quo pertinet quod Apostolus tam ad Timotheum, quam ad Titum scribens, providè adnotat, quo se pacto in exhortando oburgandoque erga cujuseumque conditionis homines gerent. 1. Timoth. 5. Tit. 2.

Quin-

Quinctiam idem præcepit generaliter, eos qui peccant eorum omnibus argui, ut & ceteri timorem habeant. Est etiam univèrse accipiendum quod diu ante ad Ezechielem Prophetam (cap. 3.) Deus ipse dixerat: *Si non monueris impium, neque locutus fueris ad debortandum eum à via sua impia, ut vivat, sanguinem ejus de manu tua requiram. Quod si monueris eum, tu animam tuam liberasti.* Ergo quod dicere volui, judicabit Doctor populi, omnes ex æquo auditores eodem hac quidem in parte habendos loco, ac nullum in eis existere qui manum Ecclesiasticæ ferulæ subdere non debeat.

XIV. Interea autem discrimen aliquod in objurgandis personis habitum à sanctis Doctoribus apparet. Prophetæ, tum crebrius, tum acrius suos oratione lacessunt Judæos, quibus cognitio voluntatis divinæ ubertim illuxerat, quam Gentiles in ignorationis profunda voragine demersos. Deinde Paulus Apostolus durius objurgat Galatas, quam Corinthios, vel ullos alios. Item Titum admonet ut Cretenses severiter redarguat. Atque hæc quidem, quasi non criminum ipsorum modò, verum etiam ingeniorum & locorum habendam censerent rationem. Præterea Prophetas, Apostolos, & Christum Scholæ Concionatoriæ Principem videmus, ut frequentissimè ita gravissimè, impetere Sacerdotes impios, Doctores, Scribas, Phariseos, falsorum dogmatum Auctores solere, atque ob id præcipuè quod externam & fucatam justitiam ostentantes, internam ac veram prorsus sepultam vellent: quod item Legi Divinæ traditiones anteponerent humanas: pari libertate Prophetæ sæpenuerò corruptos judices pauperum contra jus fasque oppressores proscindunt. Hac autem forsitan de causa utrosque, id est, hinc Sacerdotes, inde judices ita aggrediuntur, quod ex duobus hisce hominum generibus incolumitas civitatis univèrsæ pendet, quando ab his cito derivantur vitia in omnem populum, rursusque his in ordinem redactis, proclive est reliquos omnes subditos ad legum observantiam revocare. Quid multa? Colligere ex his possumus, quo qui turpius lapsi sunt, aut ingeniis sunt præfractioribus, aut suis vitiis plus docent quam

ceteri , eo studiosius atque severius illos esse corrigendos.

XV. In magistratum autem taxandis vitiis , iudicio opus est singulari. Quidam potentes patiuntur se à quibusdam corripì , non à quibusvis : quidam verò prorsus nullum monitorium admittunt. D. Ambrosius fretus causæ quam agebat bonitate , intrepide reprehendit Imperatorem Theodosium , atque tantus Princeps tanti Doctoris reprehensionem , licet acerbam & publicam , tulit æquanimitè. Tripartitæ Histor. lib. 9. cap. 30. & Theodoretì lib. 5. Ambrosio nimirum satis superque perspecta erat Imperatoris egregia indoles atque animus æquitatis amantissimus. Theodosius vicissim exploratam habebat Ambrosii sapientiam & integritatem. Et certè ubi Concionator ipse vita est omni ex parte inculcata , magistratus verò justitiam ex animo colit , ibi feliciter cadet salutaris ministri verbi conatus. Joannes Baptista non dubitavit apertè objurgare impium Regem Herodem : is verò , quod testatur Evangelista , Joannem reverebatur ac metuebat. Christum Lucae 13. Herodem oblique pupugit , vulpem eum appellans.

Nathan quasi stratagemate quodam usus videtur , quando arguere volens Regem Davidem , parabolam repente excogitavit de duobus viris , altero divite , altero paupere , 2. Samuel. 12. Nec novum est à Prophetis alias in arduis involutisque negotiis parabolas proponi , ut Isaias 5. Jerem. 24. &c. Breviter redarguendos esse in loco , in tempore magistratus , quoties à justitiæ tramite exorbitarunt , manifestum est : sed qua cautione atque provisione fieri id contingat , nemo certis regulis demonstrare potest : sed necesse est unusquisque pro sua prudentia , partim ex Prophetarum & Christi sermonibus , partim ex negotiorum genere , causis , circumstantiis , ipse ratiocinetur ac colligat. Nec verò sat scio qui factum sit , quod in Apostolorum concionibus non deprehendimus quidquam duriusculè dictum adversus ullos magistratus , sed potius occurrunt plura , quibus subditi admonentur ad morem gerendum illis , etiam improbis & pravis. Suspisor autem

duas

duas rei causas reddi posse : alteram quod omnes passim rerum publicarum gubernatores ad illud tempus erant ethnici & increduli , ideoque in Ecclesiæ societatem nondum cooptati , in hanc verò solam sibi jus esse Apostoli intelligebant. Siquidem eos qui foris erant , uni relinquebant Deo judicandos. 1. Corinth. 5. Alteram quod cum doctrina Evangelii passim male audiret , à permultis verò traduceretur , etiam ut seditiose & ad Respublicas labefactandas spectans , judicabant intempestivum Apostoli , illos severiore objurgatione privatorum vitiorum irritare , quos sentiebant ira percitos , statim omnibus laboraturos viribus ad Evangelii cursum impediendum. Ut non addam , quod forte Apostoli à Spiritu Sancto edocti prævidere poterant , se in principibus ejus sæculi corrigendis (quos Deus nondum dignabatur vocare) oleum & operam perdituros. Sed opinione longius excurrit oratio.

XVI. Certè modestius aliquando agendum cum iis qui publico funguntur munere , atque in dignitate sunt constituti , apparet Apostolum insinuasse , ubi ad Timotheum ait : *Seniorem ne sævius objurges , sed adhortare ut Patrem.* 1. Tim. 5. Ac licet quidem magno fervore causam religionis atque Ecclesiæ agere , licet etiam urgere Ecclesiasticæ disciplinæ severitatem : sed tamen tota hæc res moderamine certò eget. Quo circa probatur quibusdam acrimonia Chrysostomi increpatoria Homilia 19. Tom. 6. inscripta adversus Eutropium , de qua Homilia Histor. Tripart. lib. 10. cap. 4. Simile judicium multi rulerunt , de Homilia qua idem propter Eudoxam Augustam , quam infensam atque insidias sibi struentem senserat , vituperationem exposuit mulierum. Tripart. Histor. lib. 10. cap. 13. Item de aliâ adversus eandem , cujus initium : Rursus Herodias insanit , rursusque turbatur , denuò saltat , denuò caput Joannis in disco concupiscit accipere. Ejusdem lib. cap. 15.

XVII. Quomocumque autem sermo ad reprehendendos superiores paretur , sedulò cavebimus , ne quid temerè effundamus , ex quo improbi homines seditiose

ali-

aliquid dicendi vel agendi arripere queant occasione. Ita offendicula velle tollere, ut majora inde offendicula nascantur, incogitantis, aut dementis esse hominis videtur. Ac debet revera omnis reprehensio Ecclesiastica, ad emendationem, non ad tumultum, ad ædificationem, non ad destructionem tendere.

XVIII. Etsi verò quotiescumque ordines ulli hominum perstringuntur, temperare à nominibus expediat, tamen ubi de iis sermo est qui universæ multitudini exitium adferunt, quales in primis sunt sectarum Auctores, & palam seditiosi, tum horum nomina proferre, ut personas suis depingere coloribus, licitum est. Sic namque Paulus Apostolus 2. ad Timoth. 3. Hymenæum & Philetum hæreticos nominat, vitarique jubet. Item ejusdem Epist. c. 4. Alexandrum fabrum ærarium. Ac ne quis causetur, in Epistola ad unum privatim scripta istud fieri, intuere Isai. cap. 22. palam concionantem adversus Sobam præfectum prætorio.

XIX. Ne pigeat eadem crimina sæpius & in diversis concionibus taxare, ac tandiu quidem, quoad emendationem aliquam sequi adverteris.

XX. Nonnumquam etiam qui præest Ecclesiæ sapienter comminatur se illos qui nullo declarant argumento se nuncium velle vitiis remittere, exclusurum juxta institutionem Christi à sacra Domini mensa, aut excommunicaturum, ubi præsertim crimina sunt ejusmodi quæ Ecclesiæ tantum non universæ dedecus adferunt, atque tale creduntur remedium, vel medicamen flagitare. Quod Chrysostomum magno facere animo videmus, Tomo 5. Homil. 26. & 28. ubi contra eos disserit qui temere jurare assueverunt.

XXI. Nec hoc satis, admonebit etiam Concionator Christianum magistratum, ut ad coercenda vitia admovere manum velit. Quod quidem perfacile hic efficiet, civilem aliquam mulctam iis qui verbum Dei, atque Ecclesiasticas objurgationes aspernantur vel derident, irrogando. Quid autem proficiat apud degeneris animi & sordidos homines Doctor Evangelicus, quantumvis strenue pro-

ponens utilia , corrigens noxia , si magistratus non agnoscit sua quoque interesse , ut opituletur & subveniat? Numquam profecto ibi Respub. Christiano digna nomine erigetur , ubi quantum extruunt Doctores Ecclesiastici, dies noctesque in vitia declamando , tantum cursus demoliantur magistratus politici , numquam pœnas ullas de reis sumendo.

XXII. Sed in omni vitiorum reprehensione maximo-
pere est necessarium , ut minister verbi studiose doceat, quibus rationibus vitari ab unoquoque peccata , & peccandi consuetudo queant. Chrysost. Tomo 5. Homil. 5. scitè monstrat , quo vitari pacto juramentorum prava consuetudo possit. Ezech. dum cap. 34. malos carpit Pastores, eadem opera demonstrat quodnam sit boni Pastoris officium.

XXIII. Illud penè præterieram , omni asperæ ac vehementi objurgationi aliquod consolationis temperamentum admiscebitur , ac præcipuè quidem proposita iis qui resipiscunt certa spe misericordiæ , quam Deus omnibus suppliciter exposcentibus & in toto corde pœnitentibus solet clementer exhibere. Mos est medicis corporum simplicibus medicamentis purgantibus , quando acredine sua ventriculum aliasve corporis infestant partes , adjicere nonnulla vim illorum refrænancia, quin etiam omnibus valde amaris , ne palatum offendatur , dulcia permiscere.

Hoc igitur consilium videmus placuisse etiam Prophetis medicis animarum , quibus quasi perpetuum est , increpationibus consolationes , & comminationibus attexere promissiones. Cur autem ita fieri congruat, ratio hæc est: erit Concionator in hoc omni cura intentus , ut non ad dolorem modo sive contritionem quam vocant, verum etiam ad fidem & charitatem adducat peccantes.

XXIV. Ubi tandem olfacit & experitur Concionator sua fide ac diligentia , & opportunis importunisque obtestationibus , insectationibus , clamoribus , vellicationibus , instigationibus nonnullos emendari, eosdem aliquo tem-

pore idoneo, aut publicè omnes in genere, aut quosdam etiam privatim collaudabit, solabitur, necnon perseverandi in sancto proposito, quantum fieri dabitur, Auctor eis erit. Quod & Prophetas subinde factitasse comperimus, dum eorum prædicant felicitatem, qui desciscentes à vitiorum castris ad signa poenitentiae se contulerunt. Atque efficitur quidem hoc pacto, ut non facile ad anteactæ vitæ sordes illi redeant, nec de ipsis jactari queant proverbialia: *Canis reversus ad suum ipsius vomitum, & sus lota reversa ad volutabrum cœni.* 2. Pet. 2.

XXV. Post hæc omnia, si contigerit Concionatorem ob liberas ac duras, sed tamen justas, objurgationes incurere in quorundam hominum offensionem atque odium; at nequaquam propterea pusilli erit animi, ac veluti consertatus cessabit ab opere, quin potius magis magisque obdurabit, atque modis perget omnibus reluctari, quodve sit quod audire gestit. Frequenter autem memoria repetat ad quam excellens munus obeundum sit non ab hominibus, sed à Deo ipso evocatus & provectus, tum quanta præmia sint ab eodem agonothete Deo, omnibus qui strenuè in stadio currunt ac decertant, parata. Non dubium est, qui bene sibi conscius fuerit, se quantum debuit, tantum omni studio, summa fide & ingenue præstitisse, is sentiet sibi numquam consolationem defuturam, atque Spiritus Sanctus probabiliter contestabitur spiritui ipsius, quod Deum in tantis laboribus ac difficultatibus propitium habeat, quodque Deus non patietur ipsum pro adversariorum efferata libidine opprimi, vel ulla alia ratione rurpiter succumbere. Sed ipse prætereà Concionator multorum emolliet frangetque animos, atque ne ira in se inflammentur prævertet, si aliquoties pro concione inculcaverit, se quod facit, omnino ex officio facere: non licere sibi vel latum unguem declinare à linea veritatis, quam ipse Dominus circumscripsit: se legatum ac nuncium esse Summi Dei (sic autem Propheta Malachias ministros Ecclesiarum Angelos appellat) itaque neque posse, neque velle aliud proferre, quam quod potens ille Princeps in mandatis dedit. Ad hæc, quæ dicit
om-

omnia nixa esse Divinis Oraculis, atque armis invictæ veritatis fulta, se ne quidquam reformidare judicia hominum piorum ac Doctorum, qui æqual lance & paribus ponderibus causam sint cognituri, & examinaturi: se invitum quidem, & numquam sine ingenti animi dolore descendere ad graves criminum reprehensiones, & objurgationes. Sed eo tunc se pertrahi & cogi, quando ita postulat publica necessitas, & communis ipsorum auditorum utilitas persuadet: se in primis facere quod fidi solent medici, qui non pro voluntate ægrotantium, sed pro morborum natura, medicamenta alia acerbiora, alia mitiora deligunt: admodum autem incivile esse, imò inhumanum, bene merentem contumelia afficere, ægrum illum planè indignum esse cui medicus ferat opem, si hunc porrigentem salutiferam, quamvis subamaram potionem, putat lapidandum obruendumque convitiis. Postremò, eum qui in Pastorem animarum persequentem justam causam vult insultare, nihil aliud est quam cum Deo ipso belligerari: prædurum interea esse, quod Deus aliquando ad Saulum dixit *contra stimulum calcitrare*, ac posse quidem divexari, & affligi ad tempus despicatum aliquem, mundoque invisum homuncionem ministrum Ecclesiæ, at veritatem ipsam numquam posse pessundari aut deleri. His, inquam, & similibus rationibus, partim sese ipse Doctor populi muniet & confirmabit, & ad intrepide exequendum officium quasi subdet calcaria, partim præcavebit, ne ullos ob ea quæ in reprehendis vitiis agit, sibi valde infensos experiatur. Quinetiam debent propinqui & familiares eos qui peccatorum lue inquinati, pungente objurgationum medicamine egent, candidè & amicè admonere, ut ne justa, vera, utilia, & necessaria proponenti succenseant. Quodque his majus est, magistratus ipsos prospicere, atque enixè operam dare oportet, ne Concionatores à quoquam sanæ doctrinæ, aut salutarium reprehensionum ergo, odiosè molestentur. Etenim non uno in loco jubet Apostolus, eos qui *laborant in verbo & doctrina*, in summo haberi pretio, omni honore affici, atque ab

hos-

hostili impetu prohiberi, ut sine metu apud nos agant, & cum gaudio & alacritate suo in munere versentur. 1. Timoth. 4. 1. Corinthiorum 16. Hebr. 13. Sed satis sit.

Nos multas cautiones prout ac par fuit in hunc locum congegimus: attamen plures unusquisque assequetur, tum ex diligenti negotiorum quæ incidunt perscrutatione, tum ex ipsa progressionem concionandi.

Exempla illustria hujus generis concionum nonnulla subjiciemus. Isaias cap. 28. graviter invehitur in Judæorum luxum & ebrietatem, simulque pœnas illis intentat. Cap. 58. damnat opera hypocritarum speciosa, atque exigit ab illis veræ pietatis actiones. Adversus eosdem concionatur cap. 59. Jeremias cap. 2. 3. 4. 5. 6. egregiam reliquit concionem, quæ non abs re exempli loco proponatur, utpotè in qua exprobrat Pastoribus inscitiam, omnibus communiter, neglectum Legis Divinæ, commercium cum Gentibus, oppressionem Sanctorum Prophetarum, sævitiam in pauperes cives, idololatriam, perjuriam, adulteria, constuprata fori judicia, &c. ob quæ omnia atroces pœnas commeritos docet, necnon propediem infligendas, nisi vitam emendent, comminatur. Eadem propemodum facit, cap. 7. 8. 9. Ezechiel cap. 11. versatur in reprehensione contemptus verbi Dei, crudelitatis in subditos. Cap. 13. 14. compellat falsos Doctores & hypocritas. Cap. 16. idololatria, & ingratitude Judæorum incessitur. Cap. 17. eleganti parabola carpit Sedechiæ perfidiam. At cap. 19. 20. detegit flagitia Principum & præfectorum, unde dilabatur ad damnandum communem omnium impietatem, & idololatriam. Cap. 22. 23. eadem causa agitur. Cap. 28. disserit contra superbiam Regis Tyri. Cap. 34. contra avaritiam & segnitiem Sacerdotum. Osseæ 1. 2. 3. 4. sermo digestus habetur adversus plura scelera, in primis autem idololatriam. Ejusdem argumenti sunt cap. 5. 6. 7. Breviter, quot extant Prophætæ, tot habes in hoc artificio excellentes magistros. Item sermones Christi plurimi tales sunt quibus reprehendit, cum multitudinis imperitæ, tum etiam Pharisæorum & Scribarum

scelera. Vide Matth. cap. 11. 12. 16. 21. 23. Mar. 2. 8. 11. Nec desunt exempla in Epistolis ad Galat. & Corinth. Apud Chrysostomum tomo 5. variæ extant conciones adversus detestandam pejerandi consuetudinem, quarum alia quidem integræ ad hunc unum finem sunt dictæ, ut 27. & 23. Alia verò tantum habent quædam ejus argumenti admixta capita, ut Homil. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 19. 26. 28. In quarum nonnullis reperias etiam aspersa aliqua adversus obtrectationem. Contra iram habitæ sunt Homil. 29. 30. 31. Contra ambitionem 43. Contra invidiam 44. 45. 53. Contra ebrietatem & luxum 54. 55. Contra indignè adeuntes sancta mysteria in Cœna Dominica 60. 61. Nonnullæ etiam habentur tomo 6.

Adnotandum porrò ad hæc duo genera concionum, institutivum inquam, & correctorium, jure adjici ea quæ Rhetores in genere judiciali dicunt statum efficere, qualitatis, seu judicialem. Quando enim de factis agitur, atque in quæstionem vocatur jure ne quid fiat, an injuria, vel justum ne sit factum, an injustum, ad ea sane quæ justa sunt faciendâ admonentur & excitantur homines, aut si facta fuerint, laudantur, quæ verò injusta sunt, ab iis deterrentur homines, aut si facta fuerunt, vituperantur ac damnantur, & quidem firmamentis sumptis ex illis ipsis locis, quos hisce duobus generibus institutivo & correctorio, accommodatos diximus.

CAP. VI.

DE GENERE CONSOLATORIO.

Res omnes mortalium infinitorum periculorum fluctibus ac procellis semper jactari, eaque lege omnes nos esse natos, ut tum ob primi parentis Adami, tum ob nostram ipsorum noxiam adversis casibus & ærumnis assiduo premamur, non opus est oratione doceri, quando id quotidiana eventa evidentius quam optabile est, demonstrant evincuntque. Etenim nunc bello,

bello, aut obsidione, aut seditioe, nunc frustrata obtemperates messe, sive caritate annonæ, nunc pestilentia, aliisque morbis contagiosis, nunc eluvione, nunc conflagratione pagorum, aut aliquantæ partis civitatis, nunc variarum & pestilentissimarum hæresum inundatione, Ecclesiam miserè collidi & conflictari contingit. Qui igitur in hisce calamitatibus publicis erigere jacentes, consolari mœstos, confirmare nutantes poterit, bene profectò de omnibus mereri, necnon cum Pastoris, tum medici probi officio censebitur perfunctus. Ceterum Rhetores hanc partem prorsus à se abjecerunt, relinquentes eam Philosophis vitæ ac morum magistris, atqui nulli reverentiam tractare & exornare possunt magnificentius quam Theologi, utpotè quorum professio ut multis parasangis dignior præstantiorque est quam omnium aliorum, ita permulcendis leniendisque doloribus est peculiariter destinata. Itaque consolari afflictos quicumque desiderat, probationes nonnullas principio mutuabitur ex locis generis institutivi, quibus ad suadendum, dissuadendumve utimur. Quid enim est consolari, nisi dissuadere dolorem? Sunt igitur propositi hi loci.

Ab honesto. Viri est sapientis, forti invictoque animo in quovis discrimine perstare viros in primis decet, cum omnis virtus, tum constantia.

A justo & æquo. Justum est deponere luctum, præsertim ubi mitius nobiscum actum est, quam putabamus.

Ab utili vel inutili. Quid prodest jacere in squallore, mœrore se conficere, & enecari? tu tibi tuisque bis molestus es, tu & animum & corpus inaniter discrucias.

A decoro & laudabili. Omnes qui sano sunt judicio, indecorum & muliebre censeant immodicè lugere, sortem quæ obtigerit adeò impatienter ferre.

A facili. Omnia te invitant ad æquanimitatem, tibi ipsi toties novam deintegro accersis molestiam, quoties deflere vicem tuam pergis.

A necessario. Quid facias feras non culpes, quod mu-

mutari non potest. Sunt & hæc firmamenta è Philosopho-
rum profecta phrontisteriis.

A genere malorum quæ patimur, quod videlicet non
sint tam gravia atque vulgo existimantur, imò verò po-
tius bona quam mala, quippe certa ad virtutem incita-
menta. Item quod non sint, nec esse possint diuturna,
quod corpus tantum molestant non animum, qui liber
est ab omnibus injuriis, quod nobis sint cum multis com-
munia, quod aliis bonis compensata, quod comparata
cum multis aliis malis, sint perexigua, quod antea forti-
ter passi sumus paria, aut etiam atrociora. Dehinc per
ipsos Theologiæ campos multò amœnissimi deducuntur
consolationum rivuli, quando liquet eam vel in hunc ma-
ximè usum mortalium generi divinitus concessam, tes-
tante Apostolo, Roman. 15. Tales igitur hic habemus
locos.

A providentia Dei. Nemo Deo rectius novit quibus
opus habeamus. Nihil frustra is facit, ne pilus quidem
perit credentibus nisi illò volente.

A præsidio Sanctorum Angelorum, quibus nostri cura
est à Deo ita jubente sustinenda. Psalm. 91. *Angelis suis
mandavit, &c.*

A justitia Dei. Deus peccatis nostris exacerbatus justè
immittit præsentia pericula. Quod si velit ad calculos re-
vocare nostras actiones, longè graviora inveniemur com-
meriti.

Ab eo quod credentibus omnia adjumento sunt ad
bonum. Rom. 8. Deus cum immittit adversa, suos exer-
cet, probat, tandemque coronat. Et Roman. 5. *Afflictio
parit patientiam, patientia probationem, probatio spem,
spes non pudefacit.*

A rectitudine conscientia. Recta conscientia amplissi-
mum est in malis solatium. 1. Pet. 4.

Ab eo quod afflictiones causam nobis præbent humi-
liandi nos, invocandi Deum, exercendi officia Charitatis
erga proximum, contemnendi res terrenas, &c.

Ab eo quod Deus quæ mala toleramus, ea novis quo-
tidie beneficiis conduplicat. Mala infligit infra nostrum

meritum & bona confert longè supra nostrum meritum.
Dei misericordia vincit iudicium. Psalm. 84.

Ab eo quod adversitates argumentum sint paternæ dilectionis, qua Deus nos prosequitur, quodque simus filii Dei legitimi, non spurii. Ad Heb. 12.

A promissionibus Dei de liberatione ex periculis? in hac vita Deus suos numquam destituit, *nec patitur ultra vires tentari.* 1. Corinth. 10. Prophetæ consolationibus suis intexunt promissiones de variis rebus futuris, de adventu Christi, de liberatione per eundem à tyrannide & servitute spirituali, numquam de restauranda Repub. Judæorum, &c. Prudentis est disquirere quomodo iidem loci nostris accommodari possint negotiis. Rectissimè fiet facta earum rerum quæ nobis eveniunt comparatione cum iis quæ olim evenerunt populo Judaico.

A necessario effectu divinæ electionis: *Quos Deus elegit, hos & glorificavit. Si Deus pro nobis quis contra nos?* Roman. 8.

Ab exemplo Christi, qui nobis propositus est dux imitandus in humiliatione, mortificatione, &c.

Ab exemplis Sanctorum quorum eximia eluxit patientia, sed magis etiam admiranda visa est eorumdem liberatio per Dei potentiam & bonitatem facta.

A certitudine præmiorum, quæ post hanc vitam, per afflictiones via ad gloriam & ad Regnum Cælorum aperitur. Actor. 14.

A præstantia præmiorum quæ post hanc vitam nos manent: *Non sunt afflictiones presentis temporis conferenda cum futura gloria.* Roman. octavo. *Sunt momentanea afflictiones, gloria verò est aterna.* 2. Corinthior. quarto.

A glorificatione Dei. Glorificatur Deus ex piorum fortitudine & constantia.

Ab adificatione aliorum fratrum, ceteri pii nostro exemplo confirmantur.

A præsentis auxilio Spiritus Sancti infirmitatem nostram adjuvantis. Roman. 8.

A natura spei & patientiæ, *spe servati sumus.* Rom. 8.

Ab

Ab effectu meritorum Christi, nam horum fructus dilectoribus Dei & proximi omni tempore accommodantur. Roman. 8. *Et in omni tempore accedat ad nos misericordia eius.* Porro ab ipso genere periculi adversus quod consolatio petitur, diversae probationes, si modo causae & circumstantiae sagaciter pervestigentur, colligi possunt. Si pestilentia aut morbi medicis appellati Epidemiales ingravescunt, consolatio non mediocris haec est, quod hi morbi nullis parcunt, neque divitibus, neque pauperibus, quod vita in luxu antea acta eos merito induxit, quod David, cum Deus grave iudicium denunciaret, elegit hac potius ferri virga, quam bello, aut fame. Si patiantur homines ob confessionem veritatis, id etiam in bonis juxta Petri sententiam ponemus, atque interpretabimur gloriosum esse. Beatos nos iudicantes, atque gaudentes Deo agemus gratias, qui *digni habemur, pro nomine eius affici contumeliis.* Actor. 5. Si fames vastat provinciam: ar sperandam esse opem à vicinis populis, alicubi sine dubio agere Josephum qui cellas & horrea in multos annos referta habeat, Dominum qui pascit corvos, qui populum aluit innumerabilem in desertissima solitudine, qui fugienti Eliae, itemque Agar procuravit cibum & potum ministrari per Angelos, posse exorari ut suppeditet victui necessaria, posse illum efficere ut exigua farina si qua sit reliqua, quomodo viduae Sareptanae usuenisse novimus, numquam deficiat. Sunt harum rationum, aliae ductae à potentia & bonitate Dei, aliae ab illustribus exemplis, aliae aliunde. Atque ut summatim dicam. Sacra Scriptura est tamquam vastum pelagus, è quo mirificè consolationes in omnem eventum utiles, reciprocantium aestuum more exundant, quas Concionator in locos certos digestas, semper ad manum habebit quotiescumque tentationes ullae, miseros homines invaserint, tam publicè quam privatim disperrendas: cautiones in hoc genere pauculas adnotasse sufficiet. Nec enim ut correctio, ita consolatio odii atque obtreccionibus hominum est exposita.

I. Qui consolari decrevit alios, sic se componat in omni-

nibus necesse est, ut sensu publici mali vehementer se tangi fidem faciat & interim paratum instructumque ad confirmandos aliorum animos. Nescio qui fit, gratior fluit ab ore ejus oratio, quem eodem quo nos adfectu animadvertimus præditum.

II. Semper verò consultius erit plures colligere rationes sumptas de rebus spiritualibus æternisque, quam de carnalibus & caducis, sicut quæ ex vivo fonte prosiliunt Sacrarum Litterarum illis præferri par est, quæ è stagnantibus lacunis stillant Philosophiæ. Videmus autem illo pacto Prophetas crebro quam plurimas consolationes digerere de tempore divulgandi toto orbe Evangelii, atque de spiritali Christi Regno.

III. Si causas aliquas, sive à providentia, sive à justitia Dei, sive aliunde fluentes, ob quas Deus nos flagellat ac vulnerat, visum aliquando est reddere explicareque, ne simus in his decernendis nimium audaculi, neque proferamus nisi quas Scriptura Sacra tamquam generales & nostrorum temporum statui congruentes, absque integumento proponit.

IV. Ad eundem modum, quando promittimus securitatem certam liberationem, numquam ad singularem aliquem modum quo perfici illam queat, descendemus. Id verò, ne si secus quam dicimus res eveniat, ridiculi appareamus, quomodo quosdam qui Prophetæ ac Vates haberi adfectabant, cum promitterent læta universa, evenirent autem cuncta contraria, novimus palam ludibrio, & mea quidem sententia, non immerito habitos.

V. Dolorem seu luctum justum esse licet interdum concedere, providendum tamen etiam atque etiam, ne id concedendo detur occasio, ut incrementum capiat, fiatque immoderatus. Inter consolandum, vel augere dolorem, ut propè muliebris sequatur gemitus atque ejulatus, vel ita inducere lætitiã ut puerillis inde oriatur exultatio, utrumque ex æquo in reprehensionem incurrit.

VI. Tam iis qui docent, quam qui discunt audiuntve, major cura erit de consolatione & quiete interna quæ

sedem habet in animo & conscientia, quam de externa & in rebus corporeis ac terrenis posita. Est sanè utraque, modò sine salutis animorum dispendio obtineri queat, cum primis utilis ac meritò expetenda. Verum si altera omnino carere necessum sit, tutissimè quis poterit in priorè illa conquiescere, facillè ii contemnent omnes hujus vitæ acerbos casus, quibus tranquilla frui conscientia datum fuerit. Quocirca rectè Augustinus sermone sive tractatu 94. in Joannem perspicuè docet, consolationem externam, semper præponderari debere consolatione interna. Quamvis idem ex Prophetis magis perspicuè potest cognosci, qui si quando inter consolandum admiscunt promissiones de beneficiis corporalibus in Regno præsertim veri Messia servatoris nostri Christi accipiendis, eas tamen ipsas volunt de rebus spiritualibus internisque penitus intelligi. Etenim familiare quasi proprium illis est, res spirituales ingerere & adumbrare, objecta imagine vel delineatione quadam rerum corporalium, atque id quidem quo vel hac ratione facilius rudes animos à bonis terrenis subvehat ad cælestia.

VII. Adhortabitur novissimè Concionator auditores universos, toto ut pectore Deum Patrem Cælestem orent, quo dignetur ipsorum pectoribus immittere consolatorum Spiritum Sanctum, per quem profecto solum omnis dispelli mœstitia, dolor mitigari, vera fortitudo adjungi, spes firma erigi in miserorum hominum animis potest. Est namque veluti proprium Spiritus Sancti munus, dejectos solari & confirmare. Quam ob causam dissertè à Christo Joannis 14. & 16. *Paracletus*, id est, consolator ille appellatur.

Sequuntur concionum consolatoriarum exempla. Isaias cap. 32. & 35. jubet bono animo esse, secutura enim omnia lætiora, cap. 40. & octo sequentibus consolatur populum in captivitate Babylonica. Ubi tametsi plurimæ rationes sumptæ sunt à promissionibus de adventu Christi ac tempore divulgandi Evangelii, tamen aspersæ sunt aliæ, quæ sepè usul esse queant in diversis argumentis. Nam hic

Propheta præ ceteris abundat locis consolatoriis. Insignem consolationem Jeremias scriptam mittit ad captivos in Babylone cap. 29. 30. 31. Ejusdem instituti concio extat Ezechiel. 38. & 40. Christus consolatur animatque discipulos adversus persecutiones secuturas, Joan. 15. Similiter consolatur tristes ob suam ipsius mortem instantem. Joan. 14. Post plures alias conciones Christi consolatorias duæ Epistolæ ad Thessalon. in hoc genere scriptæ sunt. Consolatoria item est postrema pars capituli octavi ad Roman. Item ad Hebræos, postrema pars capituli decimi cum prima parte capituli duodecimi. Apud Cyrilianum legitur concio de mortalitate seu peste. Apud Nacianzenum de grandine & facta calamitate. Chrysostomus Tomo 5. Homil. 4. 5. 6. 7. Iterum Homil. 11. 15. 16. magna diligentia consolatur populum in periculis positum, ob seditionem Antiochiæ enatam. Plerisque aliis Homiliis varios locos consolatorios diffusè tractat. Homil. 62. docet quod utiles sint moderatæ tentationes: sexagesimatertia quod propter Christum quævis perferre oporteat, & non esse timendas rerum mutationes. 64. & 65. etiam gratias esse agendas Deo in tentationibus & certaminibus: sexagesimaquarta quod ad Cæleste Regnum nemo sine afflictionibus perveniat: sexagesima septima quod molestias quas hic patimur, Deus compensat ac lenit maximis beneficiis: sexagesima octava, quod injurias propter Deum magnanimiter ferre amplissima est virtus. Tomo 6. Homil. 10. quod nemo læditur nisi à semetipso. His annumerari possunt orationes funebres, quæ ad vivorum consolationem instituntur. Chrysostomus Homil. 69. & septuagesima docet non lugendos esse mortuos, sed potius bene iis precandum. Ad hæc nonnulla quæ veteres prodiderunt de perferendo martyriò, partim ad consolationem, partim ad confirmationem credentium, quos eo tempore vesani & furiosi tyranni crudeliter rapiebant ad supplicia, sunt edita.

CAP. VII.

DE MIXTO GENERE CONCIONUM.

IN una eademque concione, sive liber aliquis integer, sive pars libri, sive argumentum pro temporis ratione oblatum enarretur, subinde & plures, & diversos locos tractandos suscipi, nos supra libro primo admonuimus, exemplis etiam nonnullis quæ in Sanctorum Patrum libris extant commemoratis.

Quamobrem optimo jure mixtum quoddam concionum genus constituitur, ex aliis nimirum generibus conflatum: porro non difficile est initio, atque in ipsa præmeditatione futuræ concionis discernere, ad quod genus unusquisque locus, sive unaquæque pertineat pars, hoc est num Didascalici, an Elenchici seu redargutivi, num institutivi, an correctorii, num denique consolatorii generis existat. Ubi autem genus ipsum concionis notum fuerit, promptum erit ex iis quæ superioribus capitibus sunt de unoquoque genere singillatim exposita, certam explicandi rationem colligere. Exempla verò mixtarum concionum apud Evangelistas non pauca occurrunt. Crebro namque Christus diversos locos, atque alios quidem ad doctrinam fidel, alios verò ad vitæ institutionem, aut consolationem pertinentes, in aliqua oratione continua excutit. Non est difficile partes à partibus distinguere. Epistola prior ad Corinthios quam est locuples? quam varia complectitur argumenta? Sed nullam prope invenias Epistolam ab Apostolis editam, quæ non sit in locos diversos distributa. Chrysostomus cum alibi, tum præcipue ubi populariter interpretatur Libros Sacros, ut Genesim, Evangelium Matthæi, Joannis, &c. Deinde in eadem arena aliquando versatus Origenes, exempla infinita, eademque longè accommodatissima exhibent. Hæc autem de mixto genere succinctè admonuisse sufficiet.

CAP. VIII.

TRIA ESSE CONCIONATORI SEMPER
*speſtanda : auditorum utilitatem , decorum
 in docendo agendoque, & ſtudium
 concordia.*

EQuidem arbitror ſatis , ſuperque à nobis expoſita eſſe omnia quæ ad conciones cujuſcumque generis formandas , ſunt cognitu pernecessaria , quam ob rem par eſt nunc ad calcem decurrat oratio. Libet autem Concionatorem unumquemque hoc loco amicè admonere , tria ut in primis meminerit , quamdiu præclarum munus docendi populi ſuſtinebit , ſibi omni ſtudio atque contentione eſſe obſervanda : primum ut oculos perpetuo adjiciat ad auditorum communem utilitatem. Alterum ut propè ad curioſitatem uſque diligens ſit decori in uni-verſa virtute dicendi obſervator. Tertium & poſtremum ne diſſidiorum aliquorum in Eccleſia Auctor exiſtat , id eſt , neque à ſynergis ſuis in doctrina , vel opinionibus diſſentiat , neque imperitæ plebi rixarum vel ſimulatum præbeat materiam. Erit profectò de hiſ tribus rebus omni tempore anxie ſolicitus , adeoque omnes curas & cogitationes huc convertet , quiſquis ad Dei gloriam in terris illuſtrandam deſiderat conceditis ſibi auditoribus doctrinam ſynceræ religionis integrè in Eccleſia tradere. Ceterum ſe quærere avidè utilitatem ſuorum iſ declarat , qui tum ſignificationem haud obſcuram dat eximæ cujuſdam erga illos benevolentia , tum materias ſeligit explanandas , è quibus confidit quam plurimum commoditatis auditores percepturos. Enimverò quam cupidè , quam ardenti adfectu expetiverit Chriſtus profectum atque utilitatem ſuæ gentis , ipſe expreſſit ubi ait , ſe frequentiſſimè voluiſſe congregare incolas Hieroſolymarum *sicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas.* Matth. 23. Ubi quæ-

quæso sese ullum offert animalculum peræque atque gallina, pullorum saluti consulens? Paulus verò Apostolus incredibilem charitatem, qua quos elementis religionis semel imbuerat, arctissimè omne tempus complectabatur, quàm luculenter, quàm exquisitis verbis, & quoties describit? Loci sunt in Epistolis ejus innumeri, id demonstrantes. De judicio verò diligentiaque in investigandis materiis idoneis necessaria, quoniam libro primo diximus, nihil hic repetemus.

Ceterum ad decorum in dicendo agendoque quod attinet, breviter & verè possum dicere, quanta cura impenditur formandæ vitæ, quotidianisque moribus, tantam suscipi etiam meritò debere ad ritè moderandum sermonem. Siquidem sermo pars quædam vitæ, & quidem non postrema est. Ac plerumque ex sermone conjectura judiciumque fit de rota hominis lindole atque ingenio. Puritatem autem ac simplicitatem, cum prudentia conjunctam, quem admodum in vita, sic in oratione quoque ab omnibus commendari palam est. Quocirca Concionator omni quidem tempore, sed tum præcipuè, cum primum incipit se in docendo populo exercere, cavebit sedulo, ne quid in verbis, in pronuntiatione, aut etiam in gestu usurpet quod contemptionem ipsius apud plebem posset parare. Vidimus interdum qui unam aliquam vocem nimium crebro & in quavis concione reperebant. Vidimus qui schemata vel tropos ad nauseam usque admiscebant argumentis sacris quæ in manibus erant minus aptos. Vidimus qui in ipsa actione motus subinde edebant non satis honestos & civiles. Hæ autem res occasionem momis nihil non carpentibus & nasutis in vulgo dabant, ut ad ciendum in conviviis & symposiis risum, rem cum primis idoneam ducerent, Concionatoris voces, sonum, gestum affabre & lepide exprimere. Quin etiam ob illa eadem ridiculo aliquo nomine Concionatorem ipsum, si quando ejus ut fieret mentio, appellare assuescebant. Quid dicam amplius? propter indecoram actionem facti sunt quidam vulgi fabula, & delectamentum publicum.

Atqui ad avertenda hujusmodi incommoda, in qua inscite dicendo agendoque incurritur, duo mihi videntur in conspectu esse posita remedia. Alterum est, ut quisquis ad concionandi functionem aggreditur, statim proponat sibi excellentem aliquem Ecclesiasticum Doctorem, cujus nomen celebre sit, quique cum gratia res sacras enaret, in omnibus quoad fieri potest, imitandum & sequendum. Ferè namque ita fit, quod in alio omnes censent gratiosum, id in te quoque, si tamen dextre & naviter referas, sperare audebis commendatum, acceptumque fore. Qui ad imitationem æmulationemque adhibet diligentiam, fieri non potest quin aliquas tandem ejus cujus similis esse adfectat, virtutes assequatur. Et semper unum aliquem vel plures, etiam in propinquo, imitatione dignissimos inveniet, qui modo non fuerit arrogans & iniquus alieni artificii existimator. Alterum est, ut Concionator, bonum aliquem virum judicio recto incorruptoque roget, quo dignetur aliquando privatim commonefacere ubi quippiam in dicente animadverterit, quod aures vel oculos auditorum offendit, quodque emendatione egerè opinabitur. Ipsi quidem nos in propriis vitiis notandis talpa magis cæci sumus, ut taceam quod nonnulli etiam ubi peccant stulte sibi placent ac blandiuntur. At verò alius quispiam permulta, quæ nos fugiunt, observat, & vituperatione digna prudenter decernit. Multi autem in tempore errata sua corrigerent, si à furo & fallacia abhorrens contingeret ipsis monitor. Quod cum ita sit, tantum abest, ut qui sapit Concionator moleste sit laturus, se ab aliquo civiliter amanterque reprehendi, ut etiam gratias agere reprehensori debeat, tamquam uni è paucis vero integroque amico, cupienti existimationi ipsius ac dignitati quam optime consultum. Magnus ille Moses gubernatorum Ecclesiæ jubar & columen, passus est se de rebus gravissimis admoneri à socero suo Jetro, libenterque amplexus est ac perfecit salubre hujus consilium: quid igitur & tibi grata ac jucunda sit boni & gravis viri, te ex animo diligentis, privata reprehensio? *Stultus execratur castigationem*

Patris sui, inquit sapiens Salomon: *qui autem observat correctionem cautus redditur.* Prov. 5. Iterum: *Qui odit correctionem, monietur.* Prov. 15. Verum de toto hoc privatarum admonitionum negotio, qui plura aver cognoscere, attentè legat eruditam Homiliam Chrysostomi de ferendis reprehensionibus, & de conversione D. Pauli Apostoli, cujus priorì parte ingentes agit gratias, quòd quidam significaverant exordiorum prolixitatem qua plurimum ipse utebatur, auditoribus displicere ac improbari.

Nunc de postremo, id est, studio concordia alenda confirmandaque, operapretium est dicamus. Multissanè modis Ecclesiarum concordia & tranquillitas per ipsos Concionatores rescinditur, è quibus quando omnes enumerare, nimis quam longum & molestum foret, nos aliquos tantum, quoniam res ita postulat, censebimus. Itaque sæpenumero Concionatores quidam, præsertim juvenes, sive (ut Apostolus loquitur) neophyti, iidemque falsa eximia eruditionis aut sanctimoniam opinione inflati, conspiciuntur ad captandam multitudinis gratiam, ad aucupandam inanem gloriam, atque ad adducendos collegas in odium & contemptum, dicere ac facere omnia. Hoc verò ubi resciscunt collegæ, mox & ipsi non impigre laborant efficere, quo pares, aut superiores habeantur, adeoque quidvis potius videntur circumspecturi & periclitaturi, quam ut gloriam pridem virtute sua partam sinant obscurari, aut quovis pacto palman sibi in certamine præripi. En igitur statim atque in primo aditu quædam infausta dissidiorum sparsa semina. Quidam peregrinas atque insolentes phrasas sive locutionum formulas in templa introducunt, quo imperiti eos credant res novas & sublimes proferre in medium, atque docere, quas alii antea numquam didicerunt vel intellexerunt, cum tamen nihil scitu vel admiratione dignum exhibeant. Quamobrem & hic, tam collegæ quam populus, mussitare atque obmurmurare aliquid incipiunt. Nonnumquam videas qui non verbis modo, sed re quoque ipsa à symmistis vehementer dissident, cum videlicet no-

vas de religionis dogmatibus opiniones conantur auditorum animis inserere, vel certa alia quædam non minus noxia comminiscuntur, quod genus est, cum in Ecclesiasticis ritibus moliantur quædam sine causa innovare, cum revelationes nescio quas jactant, cum vaticinari atque futura prædicere se pollicentur, & similia. Nam his ræchnis tanquam fascinis atque incantamentis, quidam ad sui admirationem incautos illiciunt. Nihil verò tam absurdum obtrudi potest, quod non ab aliquibus benignè, & cum applausu excipiatur. Et auditis rebus novis, multò celerrimè scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Quidam Concionatores patefaciunt aures, vides insulsitatem, inepris delatoribus, qui gaudent renunciare, ecquid alius Concionator, ecquid hic aut ille civis de ipsis atque ipsorum concionibus vel moribus usquam dixerit, atque interea multa illi affingunt nemini umquam cogitata, non pauca candide dicta in deteriorem detorqueant interpretanturque partem. Hac igitur occasione rursus de suggesto audiuntur multa multo cum fastidio dicta, stomachosæ invectationes, & si quæ his amariora. Quosdam eo dementiæ prolapsos aliquando audivimus, qui ex levissimis homuncionibus, & loquacibus mulierculis discerent, sibi que præscribi paterentur, quibus de rebus, & quomodo sermones in Ecclesia haberi oporteret. Ergo & hic errorum, ac proinde & disceptationum subministrata est multiplex materia. In summa, his atque similibus modis (neque enim plures libet attingere) perficitur, ut si plures in eadem civitate sint Ecclesiarum ministri, ii atrociter secum invicem certent ac rixentur, magno sanè, non tantum domesticorum, sed etiam exteriorum cum offendiculo. Si verò non sunt ulli alii Ecclesiarum ministri, ac reliqui ordines Reipublicæ, ac populus universus odiosas lites & similtates suscipiunt. Jactis autem semel dissensionum modicis fundamentis, oratione consequi potest nemo, quantopere malum gliscat, & quam latè mox pervagetur. Subito namque erumpunt alicunde novi fraudium architecti, quibus ludus est, etiam simpli-

ces & minimè malos homines inter se committere, dissidiorum ignibus subjicere pabulum, & quod dicitur oleum camino addere. Paulatim verò itur longius, atque labascunt sensim quæ ad ædificationem sunt in Ecclesia constituta, pessundatur doctrina religionis, ac nisi sapienter occurratur, Ecclesia tota tandem excinditur. Tot igitur ac tanta mala quando ex minimis pullulant dissensionum principiis, atque omnia quidem uni temerario Concionatori feruntur accepta,

Animadvertitis proculdubio viri optimi quicumque ad excellentem docendi populi functionem estis evecti, omnibus viribus esse vobis laborandum eluctandumque, ut pacem atque concordiam studiosè colatis ac foveatis, crebro & alta mente cogitantes, si secus feceritis, omnes protinus seditiosis vocibus ubique exclamaturos, vos humanæ societati gravissima dare damna, vos communem adferre mortalibus perniciem, à vobis quos maximè decebat medelam quibusvis malis adhibere, infinita mala in miserorum civium capita redundare. Igitur providebit unusquisque Concionator quam accuratissimè, ne suiipsius captus amore, ipse se excæcet ac seducat. Quid non mortalia pectora cogis philautia & honoris insana cupiditas? Extremæ impudentiæ est sese Thrasonis in morem immodicè ostentare, stultissimum inani gloriæ fidere. Qui mundo student placere, Christi servi esse non possunt. Aliud longè est quarere gloriæ Christi, aliud suam ipsius gloriæ venari. Deinde pugnas verborum, vocum inanitates, novas phrases, cane pejus & angue, qui docent populum fugient, memores se, hujus rei jam olim ab ipso Apostolo admonitos 1. Timoth. 6. Ad hæc, à falsorum dogmatum assertione quantopere non Ecclesiastici, modo Doctores, verum etiam quicumque nostræ Religionis Sacris sunt initiati, adhorrere debeant, Sacrorum Librorum Auctores nusquam non inculcant. Sapientem porro eum non esse qui nimium credulus est, ac fidem habet delatoribus, innumera insuper oriri ex delatione incommoda, etiamsi tacuisset sapiens ille Solomon, tacuissent Propheta & Apostoli, attamen vel ex Gentilibus Scriptoribus qui multa

scite dicta de ea re prodiderunt cognosci queat. Præterea leves abjectosque homines, item mulierculas non esse, præsertim in negotiis ad Ecclesiam pertinentibus, audientibus, sua cuique mens seu recta ratio persuadet, quamvis pluribus sanè experimentis sumus hac tempestate id edocti, quam commodum est.

Quid his adjiciamus? Persuasissimum esse omnibus bonis debet, eum qui perturbationem affert Ecclesiæ, præcipuè autem qui sublata pacis existit Auctor, gravius peccare, multoque severius à Deo puniendum, quam qui flagitia illa vulgo maximè detestata, homicidium inquam, furtum, adulterium, latrocinium, vel aliud simile commiserit. Quicumque causam dissidii in Ecclesia semel dederit, perpetuo cogitabit de se & adversum se dici omnia, quæ adversus falsos Doctores, & sectarum fanaticos Auctores à Prophetis & Sanctis Apostolis dicta, scriptaque leguntur. Ne speret se ad cælestem Hierosolymam, in qua sola pacis æternæ æterna contingit visio, perventurum, qui non vult intelligere *quam bonum & quam jucundum sit fratres in domo Domini, terrenæ hujus Hierosolymæ concordēs cohabitare.* Psalm. 133. Sed finem faciam necesse est. Ad evertenda igitur omnia hoc genus pericula, præsentissimum, efficacissimumque remedium atque præservans pharmacum est, ut omnes tam Concionatores quam auditores, ante singulas conciones, quanta fieri potest religione Deum Patrem cælestem supplices invocent ac precantur, primum quo velit Spiritu suo Sancto omnium communiter pectora purificare & illustrare, deinde quo Concionatoribus ipsis largiatur voluntatem & facultatem optima ac saluberrima quæque ingenue proponendi, quin etiam, os, linguam, membra, ac totam actionem eorundem moderetur, ne indecore quidquam designent. Postremo, ut rursus omnium simul mentes, tum studio procurandæ conservandæque pacis, tum desiderio proficiendi in vera pietate imbuat, necnon sancto proposito constantes reddat. Secundis proinde successibus in docendo Concionator ille confidat se usurum cui ea quæ jam jamque à nobis dicta sunt, cordi erunt.

CAPUT IN QUO AUGUSTINUS,
instruit Concionatorem quo pacto sit procla-
maturus ad populum materiam præ-
destinationis.

Est desumptum ex lib. de Bono perseverantiae.

Cap. 22. dignissimum observatione.

QUAMVIS ergo ita se habeat de prædestinatione defini-
ta sententia voluntatis Dei, ut alii ex infidelita-
te, accepta voluntate obediendi, convertantur ad
fidem, vel perseverent in fide, ceteri verò qui in peccato-
rum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi præ-
destinati sunt, ideo nondum surrexerunt, quia nondum
eos adiutorium gratiæ miserantis erexit: si qui enim non-
dum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos,
accipient eandem gratiam, qua electi velint esse & sint;
si qui autem obediunt, sed in Regnum ejus & gloriam
prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem
in eadem obedientia permanebunt: quamvis ergo hæc
vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audienti-
bus multis, ut sermo ad ipsos etiam convertatur, eisque
dicantur illa istorum verba quæ vestris litteris indidistis,
,, & quæ superius interposui. Ita se habet de prædestina-
,, tione definita sententia voluntatis Dei, ut alii ex vobis
,, de infidelitate, accepta obediendi voluntate veneritis ad
,, fidem. ,, Quid opus est dici, *alii ex vobis*? Si enim
Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios
eorum ad fidem venisse dicentes, ceteris facere judicamur
injuriam, cum possimus congruentius dicere, ita se habet
de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex
infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obedi-
di, & accepta perseverantia maneatis in fide? Nec illud
quod sequitur est omnino dicendum, id est, ,, ceteri ve-
,, rò

„ rō qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo
 „ nondum surrexistis, quia necdum vos ad iutorium gratiæ
 „ miserantis erexit. Cum bene & convenienter dici possit
 & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damna-
 bilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Quod tamen cum feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari, quasi hoc non acceperitis. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, & à Domino gressus vestri diriguntur, ut ejus viam velitis. De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere. Item quod sequitur & dicitur: „ Veruntamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinaverit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis & sitis electi, „ durius dicitur quam dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis ut vocentur oremus. Fortassis enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur, & recipiant eandem gratiam, qua velint esse atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinavit implevit, ideo & pro inimicis fidei nos orare voluit, ut hinc intelligeremus quod etiam ipse infidelibus donet ut credant, & volentes ex nolentibus faciat. Jam verò quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, quum dicitur eis. „ Et si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur vobis obediendi vires, ut obedire cessetis. „ Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quam maledicere, aut mala quodammodo prophetare? Sed si & de iis qui non perseverant aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non potius ita saltem dicitur, ut paulò ante dictum est, primum, ut non de ipsis qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos, id est, ut non dicatur: „ Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi. „ Sed si qui obediunt, & cetera per verbi personam tertiam dicantur, non per secundam? Res enim non optabilis, sed abominabilis

dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientium frontem compellendo colliditur, quando quis eis quibus loquitur, dicit: „ Et si qui estis qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, „ ut obedire cessetis. „ Quid enim sententiæ deperit, si ita dicatur: Si qui autem obediunt, sed in Regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt? Nonne & verius eadem res & congruentius dicitur, ut non ipsis tantum malum tamquam optare videamur, sed de aliis referre, quod oderint, nec ad se existiment pertinere, sperando orandoque meliora? Illo autem modo quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem pene verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronunciari potest, ut dicatur: „ Et si qui obeditis, si præsciti „ estis rejiciendi, obedire cessabitis. „ Nempe hoc verissimum est, ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appposito. Illum etiam modum quo utendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo sufficere debere, nisi hoc vel hujusmodi aliquid addat, ut dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseverantiam à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc ut faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis: *Maledictus enim omnis homo qui spem habet in homine.* Et, *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum,* Et hanc spem tenentes, *servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Quoniam de vita æterna quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista vita, quæ *tentatio est super terram*: sed faciet nos perseverare in se usque in

ejus vitæ finem , cui quotidie dicimus : *Nos non inferas in tentationem.* Hæc atque hujusmodi cum dicuntur si-
 ve paucis Christianis , sive multitudini Ecclesiæ , cur me-
 tuimus Sanctorum prædestinationem & veram Dei gra-
 tiam (id est , quæ non secundum merita nostra datur) si-
 cut eam Sancta Scriptura prædicat , prædicare ? An verò
 rimendum est , ne tunc de se bonis desperet , quando spes
 ejus ponenda demonstratur in Deo , non autem despera-
 ret , si eam in seipso superbissimus & infelicissimus pone-
 ret ? Atque utinam tardi corde & infirmi qui non possunt,
 vel nondum possunt Scripturas , vel earum expositiones
 intelligere , sic audirent vel non audirent in hac quæstione
 disputationes nostras , ut magis intuerentur orationes suas,
 quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis do-
 nec finiatur hoc sæculum.



LIBER III.
 DE VARIA SACRARUM
 SCRIPTURARUM,
 EXPOSITIONE,
 SEU DE QUADRUPplici
 EARUMDEM SENSU.
 CAP. I.

Equidem decreveram Allego-
 riarum negotium silentio
 prorsus præmittere, quod male
 candidatum cælestis Philosophiæ
 occupari in colligenda simplici
 & nativa verborum sententia,
 quam in excogitandis subtilibus
 allegoriis: sed quando animadverto,
 ex allego-
 riarum cognitione hanc saltem
 reducturam ad Concionatorem
 utilitatem, quod ubi in posterum
 tempus legent in alienis
 scriptis, vel audient in concionibus
 seu prælectionibus quadam
 allegoricè exposita, poterunt de
 iis paulò rectius judicare; libet
 de allegoriis, imò eadem occasione
 de per-
 vulgata apud plurimos quadruplici
 Scripturarum interpretatione nonnulla
 fusius repetere. Video autem quosdam
 varia de hac re adnotasse, sed ita,
 ut magis incertum lectorem
 dimittant, quam acceperant. Nos
 verò ea proferemus, quæ perspicua
 existimamus, quæque confidimus
 etiam aliquo usque in rerum
 divinarum scientia Concionatoribus
 progressis non injucunda fore. Neque

sane pollicemur absolutam de allegoriis commentationem, in qua nihil desiderari, nihil addi queat, sed qualem brevitatis, qua impræsentiarum utimur, admittit.

Sacram igitur Scripturam, sicut ferè quodcumque scripti genus, diversa ratione ac vario sensu exponi, alienum à veritate non est, sed quomodo, & quam feliciter fieri id possit ac debeat, non omnes ex æquo considerant. Referam igitur quorundam de hoc negotio sententias.

Solent plerique Scripturarum interpretationem ita paritari, ut aliam appellent litteralem, aliam spiritualem, & hanc ipsam rursus modo tropologicam, modo allegoricam, modo anagogicam. *Litteralem* vocant, quæ juxta sensum grammaticum, & ex primaria vocum significatione accipitur, ut id dici atque significari intelligatur, quod communi loquendi more verba sibi volunt. Hæc ratio interpretandi semper primo loco inquirenda est, & ab hac non licet in gravioribus disputationibus discedere. Nota verò evadit ex Grammaticis, Dialecticis, Rhetoricis præceptionibus, necnon ex cognitione phrasum, atque consuetudinis Scripturarum.

Spiritualis interpretatio est, cum multò aliud quam quod verba simpliciter significant, adeoque abstrusius quiddam & sublimius eruitur. Jam *Tropologia*, quæ primas in spiritali interpretatione obtinet, est, qua adnotantur quæ ad mores ac vitam formandam conducunt, veluti quando ex historia inebriati Loth colligitur, quam detestanda sit ebrietas & crapula, & cum in omni ætate, tum maximè in senili. Deinde quam horrenda flagitia eam comitantur, vix enim unquam sola est.

Allegoriam dixerunt, cum facta vel sententia aliter accipiuntur, quam verba sonant, atque accommodantur conferunturque cum aliis rebus similitudinem quamdam habentibus, in primis verò cum his quæ in Christo capite, vel in Ecclesia ejus corpore cernuntur. Quo pacto, quæ olim

olim gesta sunt à Sanctis Patribus , pleraque aptantur iis , quæ longè post in Evangelio sunt per Christum , vel per Ecclesiam peracta , atque ostenditur utraque inter se admodum convenire. Ad Ephesios quinto , conjunctio viri & mulieris declaratur magnum continere Sacramentum , de dilectione qua Christus prosequitur Ecclesiam.

Anagoge ratio explicandi Scripturam , qua præter verborum significationem , astruitur aliquid pertinens ad cælestem gloriam post hanc vitam expectandam , & mysteria Trinitatis seu divinæ naturæ : quemadmodum si quis dicat , Hierusalem repræsentare nobis patriam cælestem. Ceterum quam aptè hæc ita definiantur , post pauca docebimus. Libet autem nunc explorare atque in lucem protrahere , unde hujus partitionis occasionem , qui ita distinxerunt varias interpretandi formas , sumpserint.

Apud Patres , tam Græcos quam Latinos , de interpretatione spirituali nonnulla extant , quæ isti sine judicio legentes ; aut non rectè sunt assecuti , aut feliciter recteque dictis infelicitè sunt abusi. Historiæ Ecclesiasticæ libro secundo , capite decimo septimo , ex Philone refert Eusebius , fuisse quosdam appellatos *Ascetas* , quasi dicas supplices , qui toti in perpetua rerum divinarum contemplatione occupabantur : hos autem sic enarrasse Scripturas , ut allegoricis expositionibus potissimum incumbere. Quandoquidem universa lex , inquit , fieri illis videtur animali similis , quod corpus quidem habeat ipsam litteram , & ea quæ secundum litteram designantur : animam verò , occultum in littera spiritualem & invisibilem sensum , quem illi ab Auctoribus suis edocti sublimius & nobiliter velut inspicientes , per speculum contemplantur , & ipsis etiam nominibus admirandas quasdam species intelligentiæ proferentes. Hæc ibi.

Inde apud Ecclesiasticæ Hierarchiæ Scriptorem Dionysium , capite secundo , quædam de anagoge leguntur , eaque interpretationi cæremoniarum , quarum tunc in Sacramentorum dispensatione erat usus , adhibetur.

Origenes verò arbitratus est etiam quævis in Scripturis obvia per allegoriam, & per anagogen appositè explicari, quam consuetudinem in Scholas & Ecclesias invenit: præcipit ea de re clarissime in Commentariis in Genesim. Homilia secunda & decima septima in Numeros, Homilia undecima, & Periarcon libro quarto, capite secundo, atque alibi non infrequenter. Origenem aliquot deinde Græci sunt secuti. Inter Latinos Hieronymus ex Græcorum penu deprompsit paria, quemadmodum diversis locis apud eundem videre licet. Enarrans Amos, capite quarto ita ait: Debemus Scripturam Sanctam primum secundum litteram intelligere, facientes in ethica quæcumque præcepta sunt. Secundo juxta allegoriam, id est, intelligentiam spiritualem. Tertio secundum futurorum beatitudinem. Idem ad Hedibiam, præcipitur nobis Salomone dicente: *Tu autem describe ea tripliciter in consilio & scientia, & respondeas verbum veritatis, his qui proponunt tibi.*

Triplex in corde nostro descriptio & regula Scripturarum est. Prima ut intelligamus eas juxta historiam: secunda, juxta tropologiam: tertia juxta intelligentiam spiritualem. In historia, eorum quæ scripta sunt ordo servatur. In tropologia, de littera ad majora consurgimus, & quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumentum convertimus. In spirituali thæoria ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & caelestibus disputamus, ut præsentis vitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis sit. Tantum Hieronymus. At verò Augustinus paulò aliter. Is enim libro de utilitate credendi, capite tertio, rursus libro imperfecto de Genesi ad litteram capite secundo, quadruplicem Sacrarum Litterarum exponendarum rationem ponit. Primam, secundum historiam, cum videlicet docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit, quid non gestum sit, sed tantummodo scriptum, quasi gestum sit, veluti cum Christus Matth. 12. citat ex 2. Samuelis 21. quod David comederit panes propositionis, &c. Secunda est, secundum *Ætiologiam* cum

ostenditur qua de causa aliquid dictum vel factum sit. Exemplum Matth. 19. Christus prohibens repudium uxoris, nisi interveniente fornicatione, prudenter etiam causam exponit, ob quam libellus repudii Judæis antea concessus fuerat: *Moses, inquit, permisit cum vobis propter duritiam cordis vestri.* Tertiam vocat secundum Analogiam, qua utriusque Testamenti congruentia demonstratur. Quartam, secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram accipienda esse quæ scripta sunt, sed figurate intelligenda, quomodo 1. Corinth. 10. Apostolus historiam Exodi notat allegoriam fuisse populi Christiani, & Patribus omnia contigisse in figura. Plura huc pertinentia refert idem Augustinus de Vera religione cap. 8. Distingua-
mus, inquit, quam fidem debeamus historiæ, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum esse nescientes, sed credentes tamen. Et ubi sit verum, quod non venit & transit, sed semper eodem modo manet. Quis sit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per sapientiam dicta creditur in Spiritu Sancto, utrum à visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora eam perducere sufficiet, an usque ad animæ adfectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem. An aliæ significant gesta visibilia, aliæ motus animorum. Aliæ legem æternitatis, an aliqua inveniantur, in quibus hæc omnia investiganda sunt. Et quæ sit stabilis fides sive historica & temporalis sive spiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit. Et quid prosit ad intelligenda & obtinenda æterna, ubi finis est omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid intersit inter allegoriam historiæ, allegoriam facti, & allegoriam sermonis, & allegoriam Sacramenti. Quibus sanè verbis, diversè explicandi Scripturas rationes commemorantur, sed quæ omnes ad quatuor membra pulò ante enumerata referri queant. Hinc verò factum est, ut quidam integras historias, imò libros integros, diversis illis modis enarrandos susceperint. Ruffinus, teste Gennadio, in Catalogo illustrium Scriptorum benedictionem Jacob super Patriarchas enarravit triplici, historico, morali, mystico

sensu. Sequentibus sæculis crevit audacia. Quidam enim perfriata fronte tentarunt, quidquid usquam occurrit in Sacris Libris, per allegorias atque anagoges interpretari, & non tantum historias, in quibus id subinde fit cum gratia, verumetiam conciones didacticæ ac disputationes, tam Prophetarum, quam Apostolorum. Deinde præcepta & promissiones, in quibus profectò à simplici sensu Grammatico nulla citra periculum fit digressio.

Ceterum quid de diversis hisce interpretandi modis arbitremur statuendum, & quomodo Sanctorum Patrum pronunciata intelligi conveniat, aperiemus. Agemus autem ordine de singulis, primum inquam de sensu litterali, hinc de tropologico, deinde de anagogico, postremo de allegorico.

Litteralis itaque sensus, quem alias Historicum seu Grammaticum appellant, semper primo loco, ut nobilissimus, erui debet, quando is solus certas & perspicuas parit sententias, solus aptus est ad dicenda argumenta, quibus dogmata religionis confirmantur, solus probationes necessarias suppeditat, ubi ex allegoricis sive anagogicis tantum probabiles, & in speciem efficaces adferuntur. Neque unquam simplicem & germanam verborum sententiam licet relinquere, nisi aut verbis insit tropi, aut oratio ipsa grammaticè accepta, absurdi nescio quid significet, quam ob causam necessum sit ad interpretationem allegoricam confugere. Qua de re post dicemus.

Itaque pervelim existimet ille se rectè sapienterque facere, qui in excipiendo sensu litterali sive Grammatico diligenter se exercet. Illa autem interpretandi forma quam Augustino placet per *Etiologiam* fieri, ad hoc ipsum genus referri omnino debet. Neque enim in ea à sensu Grammatico disceditur, sed tantum exposita causa facti vel dicti, illustrior redditur sententia. Enimverò in omni interpretatione cujuscumque scripti, idem est factu pernecessarium. Crebro namque expedit ante oculos poni Scriptoris consilium, atque velut digito intento

monstrari, quotendat oratio, cur sit instisuta, quantum ponderis rationes singulæ habeant.

Quinetiam altera interpretandi ratio, quæ Augustino dicitur secundum *analogiam*, ab interpretatione Grammatica divelli minimè potest. Neque enim, quemadmodum nonnulli suspicantur, allegoriæ affinis est. Revera enim analogia nihil aliud quam collatio quædam existit, qua quæ dicta vel facta sunt in veteri Testamento, componuntur cum iis quæ dicta factave inveniuntur in Testamento novo. Quod genus est, si quis disserens de Juda Dominum suum prodente hostibus osculo, quod symbolum est amicitia, dicat eum idem fecisse, quod olim Joab, qui Amasan confodit, dum simulat se velle osculari, 2. Sam. 20.

Item si quis verba Christi vel Apostoli demonstret per omnia consentire cum verbis Mosæ, sive alterius cuiuspiam Sancti Prophetæ, aut viri eximii. Intelligit autem quivis, dum istud fit, nequaquam mutari aliquid in sensu Grammatico, sed tantum facta collatione, adhibitisque docendi causa exemplis, splendorem evidentiamque orationi accedere prorsus eodem pacto, quo solent interdum Rhetores ad illustrandum facta Romanorum, adungere facta Græcorum, vel exterarum gentium. Quod cum primis eleganter fecisse videmus apud Græcos Plutarchum in parallelis: apud Latinos, Valerium Maximum. Itaque ejusmodi exemplorum tractationem in sacris sermonibus rectè nuncupaverimus, argumentationem à *typo*, de quo post pauca dicturi sumus. Ad summum autem, omnis enarratio que fluit ex artificio Rhetorico, vel dialectico, quandoquidem à simplici verborum sententia non abducit, ad sensum litteralem sive Grammaticum pertinere jure censebitur. Hæc igitur de eo sensu delibasse sit satis.

Interpretatio *Tropologica* non est remota ab eo sensu quem verba orationis pariunt, sed accomodatio ejus quod verbis innuitur ad vitæ ac morum institutionem, veluti quando obvia est historia inebriari Loth, rectè adjicitur per tropologiam, quod ex ea discimus, ebrietatem modis omnibus esse aversandam. Non difficilè est eodem

pacto, quæ ad virtutes expetendas, vel ad fugienda vitia inducunt ex Sacris Historiis concionibusque colligere. Profectò quisquis vult cum fructu historias vel conciones sacras legere, eum necesse est optima quæque ad suam privatim vitam informandam coacervare, id quod Titum Livium quoque videmus prudenter monuisse in gravi illa præfatione ad suam rerum Romanarum historiam. Quamobrem hæc interpretandi ratio rectius Moralis sive Ethica appellabitur, quam Tropologica. Etsi enim vox *tropos* græcis significet non tantum schema, id est, figuratam locutionem vel modum, sed etiam vitam moresque hominis, tamen receptissima consuetudine figuratam locutionem auditoribus repræsentat, ut nomine Tropologiæ orationem intelligant, in qua vox occurrit à nativa significatione deflexa. Quamvis Apostolus Paulus, quæ ad vitam moresque componendos colliguntur, mavult, quemadmodum capite præcedenti ostendimus, notari nominibus institutionis & correctionis: *Utilis est, inquit, Scriptura ad institutionem, & ad correctionem.* Quin verò Paulum optimum docendi interpretandique magistrum, & propriè de rebus divinis loquentem potius audimus, & imitantur, quam quoscumque alios ineptire subinde solitos.

De *Anagoge* major videtur esse difficultas. Sed si bene perpendimus, anagogica interpretatio prorsus convenit cum allegorica, neque re ipsa distinguuntur. Quod tum ex descriptione utriusque, tum ex Patrum sententiis evincemus. Vocant anagogicam interpretationem, quando sic explicatur Scripturæ sententia, ut paululum discedendo à verborum primitiva significatione, colligatur aliquid de cælesti gloria post hanc vitam expectanda, aut de mysterio Trinitatis, atque à visibilibus fiat transitus ad invisibilia, à speculo & ænigmate, ut Paulus ait, ad Dei claritatem, quemadmodum Joannes de Baptismo disserens, progreditur ab aqua ad spiritum. Joannis tertio. Item Apostolus ad Colossenses secundo, verba faciens de resurrectione nostra cum Christo, jubet cælestia tantum intueri, vitam quippe nostram & conversationem in Cælis esse. Sed raro admodum hujusmodi interpreta-

tio-

tionem in Scripturis offendas. Quid autem est allegorica interpretatio, nisi in qua similiter dictum factum exponitur, novo sensu à verbis ipsis aliquantum remoto? Sed ita, ut eruatur aliquid de Christo, aut de Ecclesia, de lege aut de Evangelio, de Officiis fidei aut charitatis, &c. Itaque palam fit, quod ad artificium quidem atque explicandi formam attinet, allegoriam & anagogen per omnia convenire: quod verò ad materiam attinet, discrimen qualecumque & perquam exiguum incidere. Quod tamen discrimen non profectò magis necessarium est ponere, quam necessum est constituas differentiam inter interpretationem allegoricam, quæ fit de Christo, vel de gloria civitatis Dei cælestis, & eam quæ sit de homine, vel de Ecclesia quæ est civitas Dei terrena, vel de quovis alio proposito.

Sed expendamus etiam, si placet, Patrum sententias. Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. secundo, postquam descripsit ritus baptismatis, addit se velle eosdem explicare secundum anagogen, & tamen quidquid ibi subjicit, allegoriam respicit, atque ad allegoriarum ordinem venit simpliciter transferendum, quod quilibet vel mediocriter eruditus potest judicare. Augustinus loco ante memorato, nempe capite quinquagesimo libri de vera religione, anagogen atque allegoriam dissertè conjungit, permiscetque, ait namque: Quis sit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per sapientiam dicta creditur in Spiritu Sancto, utrum à visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora perducere eam sufficiet, an usque ad animæ adfectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem? Ubi duo posteriora membra anagogen innuunt, nihilo tamen minus sub allegoria comprehenduntur, cum de interpretanda allegoria se verba facere astruat. Hieronymus ad Hedibiam, tantum triplicem interpretandi formam agnoscit, nimirum secundum historiam, secundum tropologiam, & tertiam juxta intelligentiam spirituales, sive juxta theoriam, nimirum hic intelligens allegoriam perinde atque anagogen, quas arbitratus est re ipsa non separari. Sed & in Commentariis suis subinde

aspergit quædam tamquam per anagogen exposita, quæ tamen si pensiculatiùs inspexerimus, per allegoriam inveniemus tractata. Exemplum adscribam unum alterumve.

Ad illud Isaiaë primo, *Cognovit bos possessorem suum; & asinus præsepe Domini sui.* Bos juxta anagogen, inquit, refertur ad Israel, qui legis portavit jugum, & mundum animal est. Asinus peccatorum onere prægravatus, gentium populus accipitur. Rursus super illis verbis Prophetæ, *Derelinquetur filia Sion, sicut umbraculum in vinea:* Juxta anagogen, inquit, vinea Dei & pomorum paradisius homo appellari potest, cui si mens præfuerit, habet custodem mentis Deum, sin autem vitia nos quasi quædam bestia fuerint deprædata, relinquimur à custode Deo, & omnia nostra redigentur ad solitudinem. Iterum eodem capite, ubi Propheta ait: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii,* subjicit Hieronymus: Hæc omnia possumus secundum anagogen referre ad animam sancti quondam viri, in qua prius Dei justitia commorata est, si postea peccaverit, & pro hospite Deo, homicidæ dæmones in ea fuerint commorati. Has interpretationes secundum anagogen factas ipse pronunciat, in quibus tamen, si accuratè examinaveris, observabis, nihil de vita futura vel de Trinitatis negotio proponi, sed de vita præsentis, de Ecclesia, de Sanctorum exercitiis sonare omnia. Quamobrem animadvertis, allegoricum sensum ibi simpliciter spectandum, nec ullum diversum. Quinetiam idem Hieronymus alibi crebrò varios hosce interpretandi modos, nulla distinctione facta, miscet. Quod videre licet in commentariis Isaiaë 8. 10. 15. 54. Jerem. 2. Ezech. 16. Ad Galat. 5. Nec difficile foret plura exempla proferre ex Origene, quem Hieronymus videtur sibi imitandum studiosè proposuisse.

Ex his igitur perspicuum fit, anagogen atque allegoriam planè inter se convenire. Quod cum ita se habeat, Concionator intelligit, quadruplicem Sacrarum Litterarum sensum non ritè constitui, sed tantum triplicem, juxta Hieronymi sententiam ad Hedibiam, aliorumque Sanctorum Patrum censuram, posse colligi. Litteralem vi-
de-

delicet, qui alias Grammaticus seu Historicus. Tropologicum, quem dicere quidam malunt Ethicum seu Moralem, sed rectius cum Apostolo appellaverimus institutionem, ac correctionem. Denique Allegoricum, quem nominant etiam spiritualem, mysticum, theoreticum.

Ceterum quia de litterali sensu, itemque tropologico (sic enim loquuntur) satis aperte dictum est, restat de allegorico, propter quem præcipuè hæc dissertatio nobis suscepta est, paulò plenius agamus.

Non est allegoriarum tractatio cujuslibet de media plebe artificis, neque etiam temere & quovis loco adhibebitur, quam ob causam in ea explicanda merito major diligentia insumetur. Hæc proinde ordine discutimus. Quid sit allegoria, & quomodo à typo differat, tum ubi, & quando allegoricas interpretationes adungere conveniat: hinc, quæ sint ejusmodi interpretationum aptè colligendarum ratio, denique quis earum usus, sive quousque sint admittendæ.

Allegoria generaliter diffinitur, ut habet Augustinus de Trinitate lib. 15. cap. 9. tropus, ubi ex alio aliud intelligitur, ut ad Thessal. 5. *Itaque non dormiamus, sicut & ceteri, sed vigilemus & sobrii simus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui inebriantur, nocte sunt ebrii, at nos qui sumus diei, sobrii simus.*

Hieronymus in illud ad Galat. 5. *hæc per allegoriam dicta sunt.* Allegoria, inquit, aliud præterdit in verbis, aliud significat in sensu. Pleni sunt Oratorum & Poetarum libri. Scriptura quoque Sacra per hanc non modica ex parte contexta est. Verum hoc pacto latius patet allegoria, quando ea diffinitio etiam ad collationes, imagines, ænigmata, parœmias, parabolas, apologos, ironias, accommodari potest.

Igitur operæpretium est allegoriam, de qua nobis sermo est, ab his paululum distinguere, atque concisius crassiusque diffinire. Allegoria ergo est interpretatio Scripturarum petita aliquanto longius, & vel propter utilitatem, vel propter necessitatem, post interpretationem Gramma-

ticam, ac moralem opportunè adjuncta, & quamvis à verborum quidem sententia nonnihil remota sit, attamen rerum quæ conferuntur aptam retinet similitudinem, semper autem doctrinæ fidei est analogæ, atque ad audientium institutionem comparata. Cujus sanè interpretationis exempla apud Scriptores Ecclesiasticos frequentia obveniunt. Similitudine autem redditur quod dicimus manifestius. Poetarum qui fuerunt Theologi Gentilium, narrationes, & in his plerasque fabulosas, videmus ita explicari, ut sub fabulosis involucris, ostendatur latere maximarum rerum cognitionem, necnon posse ex illis insignem doctrinam (modo videlicet de naturis rerum, modo de vitæ institutione, modo de religionis placitis) decerpi. Cujus generis interpretationum formæ elegantes extant, apud Palephatum, de non credendis historiis. Fulgentium, in Mythologiis. Divum Basilium, in libro seu concione ad adolescentes, de legendis cum fructu Scriptoribus Gentilibus. Est autem omnis hæc interpretatio, si ritè expendimus, planè allegorica, & nemo it inficias, utilitatem ingentem in ea esse positam. Ad eundem igitur modum, alienum non est, multos Sacræ Scripturæ locos allegoricè, & quidem magno cum fructu enarrari, maximè cum in confesso sit, Sacram Scripturam mysteriorum esse supraquam dici potest fœcundam, necnon uberrimam spirituum bonorum materiam, in omnem vitæ & cognitionis usum suppeditare. Ex his igitur, quid præsentis loco per allegoriam velimus, perspici potest.

¶ Ceterum oportet prudenter allegoriam à Typo distinguere. Multos namque videmus, qui typos & allegorias confundunt, atque ubi typus apud Scriptorem sese offert, ibi allegoriam esse falso autumant. Etenim quando legunt. *1. ad Corinth. 10. Patres nostros omnes sub nube fuisse, & omnes per mare transisse, & omnes in Mose baptizatos, in nube & in mari, & cet.* opinantur ibi esse Allegoriam, sed falluntur, cum typus tantum proferatur, aut verius exemplum. Evincit namque Apostolus, exemplis ob oculos positis, eos qui postquam Sacramentis per Christum salubriter institutis usi fuerint, si in pristina peccata re-
ci-

cidunt, nequaquam impunes evasuros. Igitur discrimen inter typum & allegoriam hoc observetur.

Typus seu figura (nam hoc nomine vocem typi effertur interpretes) est, cum factum aliquod accersitur è veteri Testamento, idque ostenditur præsignificasse, seu adumbrasse aliquid gestum vel gerendum in Testamento novo. Allegoria verò est, cum aliquid sive ex veteri, sive ex novo Testamento, novo sensu exponitur, atque accommodatur ad spiritualem doctrinam, sive ad vitæ institutionem. *Typus* consistit in factorum collatione, & totus historicus est. Allegoria occupatur non tam in factis, quam in ipsis concionibus, è quibus doctrinam, & multa quæ didactici sunt generis depromit. *Typus* non ferè de aliis rebus sermocinatur, quam de Christo, & Ecclesia, de lege, & Evangelio, neque passim accommodatur nostris personis. Allegoria verò disserit de rebus quibuscumque, atque plurimum accommodatur personis nostris, quas oportet per eam erudiri, atque ad officia exercitari pietatis. Breviter, typi ad certas res, de persona Christi, de Ecclesia, de lege, de Evangelio, in angustum contrahuntur. Allegoriæ autem latissimè patent, & per quascumque diffunduntur materias. Unde fieri potest, ut in una eademque historia, hinc *typus*, inde allegoria, seu interpretationes longo intervallo dissitæ, diversa ratione adnotentur. Nam historiam Davidis pugnantis cum Goliath, si dicam præsignificasse certamen Christi cum diabolo, quem Christus vicit, ac prostravit, adduxero expositionem per *typum*: si verò transtulero ad nos, dixeroque significari pugnam spiritus cum carne, quam unusquisque nostrum in sese experitur, erit hæc interpretatio allegorica. Haud magni negotii est paria exempla congerere. Certè probationes sive expositiones à typis, passim in novo Testamento fiunt obviæ. Jonas devoratus à pisce, iterumque eiectus, describitur Matth. 12. *typus* Christi per triduum sepulti, & à morte reviviscentis. Serpens æneus, Joan. 3. *typus* Christi crucifixi. Joan. 19. agnum Paschalem, cujus ossa non frangebantur, Christi extitisse *typum* atque imaginem declaratur. Ad Galat. 4. duo filii Abrahæ *typum* gerunt
duo-

duorum Testamentorum. Quo loco, tametsi Apostolus ipse pronunciet, ea per allegoriam dicta, tamen rectè adjecerimus, per typum dicta esse. Quod ante nos sapienter adnotavit in Commentariis ad eandem Epistolam Chrysostomus, dicens: Allegoriæ vocabulum ibi usurpatum pro typo. Vidit quippè doctissimus Scripturarum interpres, allegoriam & typum vehementer discrepare. Quamvis dissimulari non potest, allegoriam quoque statim aspergi, ubi Apostolus Hierosolymam interpretatur matrem nostram, intelligens hand dubiè, Ecclesiam ex Gentibus collectam, quæ sterilis semper fuit existimata, sed fecundior effecta est quam Synagoga Judæorum: qua de re Hieronymus in Commentariis super verbo illo Isaiaë 54. *Lætare sterilis quæ non parit.*

Ceterum allegoriæ non ita crebræ sunt ut typi, & allegoriæ spectantur, non modò in historiis, verum frequenter etiam in præceptis, tam in lege, quam in Evangelio comprehensis, veluti cum jubet Deus, *bovi trituranti non obligari os, non spargere in agro diversum semen.* Item Christus mandat *præcingi lumbos, & gestati lampades manibus.* Quibus sanè locis allegoriæ manifestæ subsunt. Si quis exempla plura, discrimen inter typum & allegoriam aperientia, desiderat, Commentarios legat Cyrilli in Leviticum, ubi frequenter, cum de sacrificiis, ritibus, & cæremoniis agitur, primo loco exponit, si quis typus de Christo vel Ecclesia in illis lateat, secundò annectit per allegoriam aliquid ad nostram institutionem conducibile. Hucusque quantum allegoria & typus distent.

Superest nunc, ubi, & quando allegoricas interpretationes expediat adhibere, demonstremus. Certè locus postremus iis dabitur, nec prius licebit ad allegorias descendere, quam excussa fuerint, primum quæ ad sensum Grammaticum, deinde quæ ad moralem, sive ut Apostolus loquitur *πρὸς παιδείαν* spectant. Quamvis nec semper, nec temerè, sed tunc tantum cum vel cogit aliqua orationis necessitas, vel suadet singularis auditorum utilitas. Utrumque quomodo contingat, ostendamus. Nec-

cessitas quidem exponendi per allegoriam tribus ex causis provenit. Prima, quando Scripturæ, nisi tropum subesse accipias, falsitatem præferunt. Verbi gratia. Psalmus canit de Christo: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Atqui cum Christus fecisse istud non legatur, subesse videtur verbis Prophetæ falsitas. Quare verba illa per allegoriam, si de superatis, ac debellatis, diabolo, mundo, peccato, morte enarres, perspicuam ac veram habes sententiam. Secunda, quando verba Scripturæ in sensu Grammatico accepta, pariunt absurditatem. Quo pertinent locutiones illæ de Deo, quibus tribuuntur ei adfectus humani, nonnumquam etiam vitiosi, ut ira, pœnitentia, tædium, dubitatio, vel ignoratio, furor, &c. Item ad Roman. 9. *Hoc faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Ubi, cum de cibando & reficiendo inimico verba præcedant, videntur sanè ista contra amicitia leges esse addita. Verum oportet allegoricè interpretari, quemadmodum ait Augustinus de Doctrina Christiana, lib. 3. cap. 16. ut intelligas te ad beneficentiam revocari, & carbones ignis esse utentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriæ subvenitur. Ejusdem generis est præceptum illud Deuteron. 25. *Non obligabis os bovi trituranti*, nam in speciem absurdum videtur, de ea re præcipere. Quotusquisque enim solet bovi obligare os? Itaque rectissime interpretatur Apostolus, eo per allegoriam significari, fideliter laborantibus in Evangelii ministerio haud deneganda vitæ necessaria.

Tertiò, *necessitas* cogit allegoriam adhibere, quando sensus Grammaticus pugnat cum sana Doctrina Christiana, vel adversatur bonis moribus. Præcipit Christus Matthæi 5. ut oculum sive pedem, qui offendiculi causa existit, eruas, abscindas, abs te projicias. Sed quando sine peccato, quod his verbis mandatur, haud posset perfici, cogit profectò necessitas allegoricam interpretationem inquirere. Itaque rectè Chrysostomus in Matth. Homilia decima septima, non de membrorum disturbanda

compage, verba fieri astruit, sed malum argui voluptatis: necnon de his esse sermonem, qui nobis familiaritate junguntur. Fugiendam igitur esse voluptatem, fugiendos & propinquos, qui à pietate nos abducunt.

Permulta occurrunt hujus generis in Canticis canticorum, ut de multis uxoribus, & concubinis sponsi, de contestatione uberum, de voluptuariis conviviiis. Imò totus hic liber ex perpetuis allegoriis conflatus est. Item Hieremiæ 25. *Bibite & inebriamini, vomite & cadite.* Ubi loquendi forma atque similitudo de ebriorum moribus sumpta est, notanturque incredibiles omnium Regnorum perturbationes, atque maximæ strages secuturae. De qualibus sententiis Augustinus de Doctrina Christiana lib. 3. cap. 22. Si quæ facta, inquit, leguntur à Patribus etiam sanctis, quæ tamen abhorrent à consuetudine bonorum, qui post adventum Domini divina præcepta custodiunt, figuram ad intelligentiam referant, id est, ad mysterium per allegoriam, factum verò ipsum, ad mores non transferant. Quandocumque igitur hujusmodi loci fiunt obvii, necessario ad allegorias confugitur, quando quidem interpretatio Grammatica si retinetur, errores non parvos gignit.

Sic enim natus est error Anthropomorphitarum, Deo tribuentium humana membra & adfectus, cum nolent locutiones illas de Deo in Scripturis usitatas, juxta tropum, quemadmodum decet accipere. Similiter errarunt Euchitæ, semper orandum esse stolidè contendentes, quia in Evangelio dicitur: *Oportet semper orare, & nunquam intermittere.* Quamvis hic synechdoche potius occurritur errori, quam allegoria. Sed illorum error crassior, minusque tolerabilis, qui seipsos castraverunt, quod in Evangelio prædicentur: *Beati qui seipsos castraverunt propter Regnum Dei.* Liquet igitur, necessitatem interdum imperare, ut allegoricæ interpretationes in medium adducantur.

Jam verò *utilitas* suadet, adhiberi allegorias, quando nimirum, sive in historiis sive in præceptis & concionibus

tam

tam in lege quam in Evangelio obviis, verba ipsa grammaticè sumpta, nullam videntur adferre utilem doctrinam, aut institutionem, vel si aliqua apparet, longè tamen proveniret uberior, ubi interpretatio allegorica adjungeretur. Quod exemplo planum faciam, Legis in historia Jacob, quomodo deceptus fuerit à socero Laban, quomodo Liam acceperit, putans se potiri Rachele, quomodo pro Rachele tot annos duram servitutem servierit, quomodo intereà gregem suum mira solertia auxerit, virgulis versicoloribus ad canales positis. Hic aut exigua, aut nulla videtur utilis doctrina esse proposita, sed potius fraudes, astutiæ, stultus amor, opum cupido. Quamobrem ut fructum aliquem decerpas, expediet te omnia per allegoriam explicare, & dubio procul, sub duro cortice litteræ, invenies suavem nucleum spiritus, & non injucunda mysteria. Nos aliquando juvenilis exercitii causa, ita sumus in Scholis interpretati. Liam diximus adumbrare Philosophiam humanam, Rachelem verò divinam, sive Theologiam: pro hac percipienda omnes labores, vigiliisque impendi debere. Nec aspernamdam quidem Philosophiam humanam, si nobis obtrudí eam contigerit, sed tamen finem studiorum omnium, ad rerum divinarum cognitionem comparandam tendere. Intereà autem nobis amplissimos fructus obtingere, dum in studiorum cursu perseveramus. Neque ipsius Laban, id est, mundi & carnis imposturas posse obsistere, quo minus optatis tandem bonis fruamur. Alius forte aliter, & commodius doctiusque. Legis insuper diversa præcepta in Levitico, vel alio volumine de Sacerdotio, de cæremoniis, sacrificiis, observationibus diversis, atque horum quidem, quando sola inspicitur sententia Grammatica, nullus plane nobis usus est, cum defunctiones legales nunc sint abrogatæ, nulloque modo ad nos pertineant. Quo igitur fructum aliquem spiritualem ex his capias, consultum est interpretationes accersere allegoricas, ad vitæ tuæ institutionem utiliter comparatas. Sic autem Origenes, Cyrillus, Eucherius, præcepta legis cæremonialia propè omnia apud Græcos enarrarunt: apud Latinos aliquoties idem facit Augustinus.

Relinquitur ergo, in istiusmodi locis, ne veluti steriles sine fructu prætereantur, optimo jure allegoricas interpretationes concinnari: in ceteris verò locis nequaquam. Nam ubi perspicuè sunt historiae quæ per se satis largiter doctrinam salutarem suppeditant, quales in Libris Josue, Judicum, Samuelis, Regum plurimæ, ubi item nuda continentur præcepta moyses informantia, velut in libris Didacticis, Proverbiis inquam, Ecclesiaste, Job, Psalmis, supervacaneum fuerit allegorias anxie interserere. Nam neque necessitas, neque utilitas, laborem eum requirit ibi.

Porrò quomodo allegoricæ interpretationes formari debeant, explicemus. Est autem ejusmodi hoc artificium, quod potius usu, frequentique exemplorum ab aliis tractatorum dijudicatione, quam præceptionibus ullis addisciqueat: attamen in gratiam tyronum, quo de allegoriis quas ab aliis subinde proferri vident, prudenter judicare adsuescant, aliquot veluti generales regulas seu observationes proponemus. Sit itaque prima observatio.

OBSERVATIO I.

NON vacat temeritatis nota, qui putat quovis loco allegoricas interpretationes in medium producendas. Mirum in modum labefactat ea audacia Scripturarum auctoritatem. Statim enim suspicantur auditores, nihil certi Scripturam in se habere, & liberum esse ad quemvis locum quamvis adsuere interpretationem. Quam ob causam Porphyrius nostræ religionis Doctores irridebat. Julianus ibidem invidiosissime nostris exprobrabat. Semper revera oportet dispicere, quemadmodum diximus, ubi fieri illud postulet *necessitas*, vel suadeat *utilitas*. Si ulla in re, certè in hac sobrios parcosque esse decet.

OBSERVATIO II.

Si animus est allegoriam texere, vide in primis, ut interpretationis ejus quam meditaris, sententia alibi in Scrip-

turis clarè & absque tropo expressa inveniatur, atque de-
tracto velamine analogiæ fidei respondeat. Cum enim
allegoria omnis ad docendos auditores de rebus pietatis
instituitur, par est, in ea simplex doctrinæ veritatis elu-
ceat. Quo circa tantum non est, quasvis allegorias ab aliis
fabricatas recipere, sed exigere eas oportet ad verbi Dei
normam & perpendiculum.

OBSERVATIO III.

Dabitur deinde opera, ut allegoriæ intra certos doctri-
næ limites coerceantur, necnon potissimum versentur in
locis communibus Evangelii atque Doctrinæ Christianæ.
Extra hæc septa qui eas deducit, præterquamquod inju-
riam facit Sacræ Scripturæ, tum verò auditores lædit ma-
gis quam adjuvat, & de ipso dici potest, quod juxta pro-
verbium, extra oleas currat.

OBSERVATIO IV.

Debet insuper allegoria verè per omnia quadrare ad
partes sive sententiæ, sive historiæ, quam enarrandam
suscipis, neque pugnare ullo pacto cum præcedentibus in
ea, aut sequentibus. Etenim si dissentiat, longiusque petita
sit tua interpretatio, durior erit, ideoque omnem amise-
rit gratiam. Non quidem quod necessarium sit, singulas
particulas, & circumstantias superstitione excutere, sed
interim eas quæ principales sunt, causamque cum primis
illustrant, præterire haud quaquam convenit.

OBSERVATIO V.

Eo autem artificio formari vult allegoria, eoque orna-
tu vestiri & comi, ex quo quasi majestas quædam acce-
dat, & unde auditores judicare queant, pondus aliquod
ei inesse, neque institutam modo ad aliquantam animo-
rum delectationem, verumetiam ad movendos quoad
fieri licet adfectus. Quod si hæc virtus absit, fri-

gida plane erit interpretatio, censebiturque parum dextre tractata.

OBSERVATIO VI.

Neque etiam justo diutius immoraberis, aut longius quam causa postulat persequeris. Unde quibusdam placet sufficere, si allegoriæ paucis tantum verbis, argute & cum quadam suavi acrimonia, perstringantur verius, quam pertractentur.

Quod genus usurpatum cernimus in Sacris Litteris, & propterea meritò imitandum? prima ad Corinthios nono, *non obligabis os bovi trituranti. Num boves curæ sunt Deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos hoc scriptum est, quod spe debeat is qui arat arare, & qui triturat sub spe spei suæ particeps esse debeat.* Idem Apostolus ad Ephes. quinto, quæ de Sacramento conjugii, deque mutua dilectione viri & mulieris cœperat, eleganter persequitur, exponens de Christo & Ecclesia: *Sacramentum hoc, inquit, magnum est, verum ego loquor de Christo, & de Ecclesia.* Qua interpretatione quamvis brevi, conjuges ad officium vehementer excirat, & Sacramentum Matrimonii magnifice extollit. Christus Matthæi 16. jubens discipulos cavere sibi à doctrina Pharisæorum & Saducæorum, utitur succincta allegoria de fermento. Historia de Mose velante faciem suam, ex libro Exodi, cap. 34. multo artificiosissimè 2. ad Corinth. 3. exponitur, de excæcatione Judæorum. Etiam si typum ibi excuti, non male quis diceret. Allegoria tamen fuerit aptissima, si de iis interpretemur, qui nostra tempestate veritatis Doctrinæ Ecclesiæ Romanæ fulgorem ferre non possunt.

OBSERVATIO VII.

Et si verò breves allegoriæ esse debeant, perspicuas tamen minusque intricatas esse oportet. Obscuritas omnium intelligentiam impediatur, utilitatem tollat, tum verò & fastidium gignit.

Cum

OBSERVATIO VIII.

Cum nihil obsit, quo minus unus idemque locus varia per allegoriam enarretur, cavendum tamen, ne plures interpretationes adhibeantur, aut si forsitan ferat locus, atque inveniatur etiam apud Doctores multipliciter expositus; ea tamen sola erit usurpanda, quæ plus habet gratiæ, magisque convenit instituto, & versatur locis communibus, nec non alibi in Scripturis comprobata legitur.

Extat hæc regula apud Augustinum in Commentariis ad Psalmum Octavum. Postquam enim versum illum & sequentes, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves*, & cet. per allegoriam fuisset interpretatus de potentia Christi, tandem subjecit: Non quia ista nomina isto solum modo intelligi & explicari possunt, sed pro locis, nam alibi aliud significant. Et hæc regula in omni allegoria retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur, quod per similitudinem dicitur.

Sed observationes plures congerere supersedemus. Magis optamus, ex ipsa allegoriarum artificiosa tractatione, qualis tum in Sacris Libris, tum in Sanctorum Patrum Commentariis conspicitur, addisci quæ huc pertinent, quam ex nostris annotatiunculis. Augustin. ubi illi visum fuit allegorias adjungere, ceteris Patribus visus est felicior, sicut etiam parior. Recentiores non ita multum, & ni fallor ad evitanda apud imperitos offendicula (nonnulli enim nostra ætate allegoriis mirè abusi sunt) sese in his exercuerunt, etiamsi quidam excellentis ingenii homines, egregium, ac dignum imitatione præbuerunt specimen. Exemplorum lectio, & pensiculata eorundem examinatio, magistra ac dux in hac arte erit.

Postremo loco dicendum, quis allegoriarum sit usus, & quousque censeantur admittendæ. Sobriè & raro adhiberi debent, semperque habenda auditorum, præsertim

infirmorum, ratio. Nam quamquam tu dextrè tractes, non tamen omnes eodem sensu atque adfectu percipiunt. Quamobrem consultissimum est, laborare cum primis in colligenda Doctrina Morali, vel juxta Apostoli traditionem, in eruendis *dogmatibus, redargutionibus, institutionibus, correctionibus, consolationibus*. Hæc omnium bonorum ac Doctorum irrefragabilis est sententiæ: fere autem ita usuvenit, qui allegorias audet crebro cudere, facile in errorem labitur, certe profert nonnumquam, quod periti & boni contemnant, imperiti ac malevoli derideant, quo denique infirmi offendantur. Minuitur sanè haud parum apud istos, quod & nuperrimè dixi Scripturæ auctoritas, & quicumque vident eam prope modum fabularum poeticarum more adeò variè exponi, opinantur protinus modicum aut nihil in ea esse solidæ doctrinæ, necnon quam in partem libuerit pro disceptantium adfectu posse pertrahi. Quo nomine Porphyrius & Julianus religionis nostræ doctrinam universam conati sunt per calumniam in contemptum adducere. Et apud doctos passim male audit Origenes, quamvis in figurandis allegoriis minimè durus. Reprehensionem incurrit etiam Ambrosius, quem apparet alicubi, oblique perstringi ab Hieronymo, quod scribens in Lutam, Petri negationem violenter & per allegoriam excusare studuerit. Scio, inquit in Commentariis ad Matth. cap. 26. quosdam pii adfectus erga Apostolum Petrum locum hunc interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum, *Nescio hominem*, quia scio Deum. Hoc quam contrarium sit sententiis Christi prudens lector intelligit. Non est ita defendendus Apostolus, ut Deum mendacii reum faciant.

Idem Hieronymus in præfatione ad Abdiam Prophetam, sese ipse damnat, qui juvenis juvenili ætate interpretatus fuisset Abdiam Prophetam allegoricè, cujus historiam non intellexerat. Quid quod auditores ipsi statim ducunt sibi idem, quod Doctore licere? Dum autem votis non succedit (neque enim possunt arte moderari

in-

inveniendi disponendique habenas) necessario gignunt monstrosas opiniones. Quo pacto Priscillianistæ impia dogmata sua pertinaciter tutari sunt, contententes, quæcumque contra ipsos proferebantur, esse allegorice explicanda. De quibus legimus apud D. Augustinum, in Catalogo Hæreticorum ad Quodvultdeum: Nostra memoria vidimus Anabaptistas allegoriis magnopere delectatos, atque iis permultum effecisse ad sua paradoxa apud imperitos stabilienda. Ad hæc, quod tu unam in partem per allegoriam interpretaris, alius pari confidentia idem interpretabitur per allegoriam in partem prorsus diversam. Ex quo fit, quod Anabaptistæ sæpenu-merò pugnantes inter sese enarrationes adducunt, & quæ ipsi junctis phalangibus contra nostras ejaculantur, eadem nostri mutata paululum interpretatione, statim retorquent in illos, non aliter quam solent exercitati milites clypeis excepta hostium tela iterum in hostes vibrare. Quid multa? sic nonnulli imperiti se in hac arena exercent, tamquam si ludus iis esset allegoriis configendis certare, & tamquam si Scripturam haberent vice pilæ palmaria.

Ergo quod dicere cœperamus, raro & non nisi maturo consilio, allegorias in medium proferre adsuesces. Jam probandum quidem est, nolle usquam ultra sensum Grammaticum progredi, aut multo improbandum vehementius, velle ubique & quavis occasione ad allegoricas interpretationes convolare.

Recipientur igitur allegoriæ: Primum, quando palam est, justa de causa produci, nimirum vel propter necessitatem, vel propter notabilem utilitatem.

Secundò admittentur, ubi eum in modum fuerint conformata, quem videmus à præstantibus artificibus atque docendi magistris præmonstratum, quemque nos aliquot regulis sumus utcumque complexi.

Tertiò recipientur allegoriæ, modo ad vitæ institutionem seu correctionem, non autem ad dogmata fidei comprobanda, sint parata. Nam ex allegoriis non ducuntur argumentationes necessaria, sed tantum proba-

babiles atque verosimiliter suadentes, quemadmodum rectè asseverat Augustinus in Epistola ad Vincen-
tium.

Quartò, quod si ad dogmatis confirmationem adduc-
ta allegoria videbitur, at non nisi postremum locum
occupabit, post alia videlicet argumenta è Scripturis de-
prompta, quæ evidentè citra tropum, & omnino citra
obscuritatem, atque necessariis consecutionibus, id quod
rei caput est stabiliunt. His inquam conditionibus allego-
riæ locum obtinebunt, certumque est, ita explanatas non
modo nihil obfuturas, verumetiam commoditatem hæud
parvam ex eis percipiendam.

Enimverò delectant in primis, excitantque animos
segnes & fastidiosos, in oratione præsertim gravi, atque
longa, ubi profectò si quid inexpectatum aut argutum pro-
fertur, eo tædium levare omnes protinus sentiunt. Quam
ob rem & Rhetores studiose præcipiunt, de iis quæ or-
nant, illustrant, ac delectant aspergendis, in quorum ge-
nere licet allegorias constituere, præsertim affabre
compositas. Preterea ut auditores adfecti sunt, ita utiles
quoque allegoriæ erunt. Si enim docti contigerunt, &
minimè refractarii, allegoriis afficientur, necnon placi-
de excipient quidquid per Doctorem eruditum & pium
remota omni curiositate profertur. Et gaudent ii, confir-
manturque in sana doctrina, quando vident argumen-
tum quod tractatur, variè in Sacris Libris descriptum de-
lineatumque inveniri. At verò apud imperitam plebem,
nequaquam pari cum fructu allegoriæ proponuntur. Ad
hæc, si forsitan dubitare aliquis incipiat, utrum juxta
Spiritus Sancti mentem, historia, vel sententia illud sig-
nificet quod per allegoriam innuere astruitur, huic suspi-
cio omnis adimetur, ubi adverterit interpretationem ana-
logam, & convenientem esse cum doctrina fidei, si quidem
prius ad doctrinæ caput, atque ad consentientes Scripturæ
locos, quam ad artificium interpretis convertere mentis
aciem oportet.

Postremò, cum variis modis Scripturæ nonnumquam
enarratur, ejus commendatur fœcunditas, & multiplex
com-

commoditas. Præclarum enim hoc est, quod historia vel sententia obvia, non illud modo significat, quod verba simpliciter sonant, neque solum suppeditat locos morales, verum etiam adfert aliquid sublimioris intelligentiæ, ut de Christo, de Lege, de Evangelio, de Ecclesia, de spiritu & carne, denique de omni pietatis officio nobis valde eruditas, nec minus salubres admonitiones proponit: fieri autem non potest, quin ex multiplici enarratione, cum iudicio tamen facta, fructum auditores aliquem consequantur. Quod unius palato minus sapit, alterius palato pergratum erit. Manna caelesti quidam magnopere delectabantur, quorundam verò stomacho ciebatur nausea: ita in multitudine sunt, quibus varia Scripturarum explicatio aridet, sunt quibus displicet. Id cuique vehementer prodest, quo plurimum afficitur. Intellige autem, dum constat de doctrinæ pietate. Nam quæ doctrina per se impura aut vitiata est, qui prodesse queat?

CAP. II.

QUID FACIENDUM UBI LOCUS

occurrit intricatus è quo te nulla via

potes expedire.

Quæ ad veram Scripturarum intelligentiam arbitrati sumus conducere, ea nos candide bonaque fide in commune contulimus. Quod si ulli sentiunt se ex hisse auxilium consequi, bene est: gaudemus nostrum officium rectè collocatum, quinetiam Deo Opt. Max. pro illorum profectu gratias quam possumus maximas agimus. Si verò coguntur adhuc multis locis subsistere, neque observationum quas tradidimus ductu valent se expedire, dicam quid faciendum existimem: idque, ne aut ardore cognoscendi incensi curiose prorumpant quo non decet, aut difficultate victi animos despondentes, Sacros Libros de manibus abjiciant: quorum illud detestabilem aliquo modo

arrogantiam, istud miserandam pusillanimitatem arguit, utrumque verò cum periculo conjunctum est. Quando igitur locus occurrit obscurus & vehementer intricatus, ne pigeat eum sæpius repetere, fieri non queat, quin ex frequenti repetitione lux aliqua inferatur. Ne pigeat etiam Spiritum Sanctum (cujus proprium munus est, nos omnem docere veritatem) orare, quo oculos mentis tibi aperiat. Quarum duarum rerum initio omnes admonimus. Post orationem, diligenter inspectis iis quæ antecedunt, & præcedunt, deinde tam causis & circumstantiis, quam reliquis quæ hujus sunt generis, eam interpretationem venaberis, quam probabile est ad mentem ac voluntatem Scriptoris quam proxime accedere, quæque cum sana doctrina fidei consentit. In qua interpretatione tantisper licebit conquiescere, dum apertior & certior sese obtulerit. Siquidem retineri tutò potest, quæ à fidei linea non exorbitat. Ubi verò post temporis intervallum, vel ex multis magistris, id est scriptis Commentariis, vel ex viva voce præceptorum, tum manifestiora, tum instituto magis accommodata acceperis; ne ita adblandiare tibi ipsi, ut posteriorem asperneris, priorem verò à te excogitatam, mordicus tuearis. Prorsus improbi ac duri oris eum meritò sentiamus, qui meliora docentis vocem recusat benignè audire.

Beatus martyr Cyprianus, Tertullianî scripta, in quibus tamen taxantur nonnulli errores, tanti faciebat, ut nullum sine eorum lectione diem præteriret: quoties à puero postulabat sibi tradí, hanc usurparet vocem, Damagistrum. Quamobrem nos quoque aliorum Doctorum hominum, præsertim de quorum integritate mentiri fama veretur, Commentatios religiosè venerabimur, atque fidos magistros haud gravatè agnoscemus. Quod si ne hac quidem ratione, id est, neque scriptis, neque viva voce aliorum tibi satis fit, idque fortassis, aut quia Auctores quos consulis, obiter tantum locum dubium attingunt, vel nimis quam obscurè sententiam suam reddunt: aut quia ipse non potes ob captus tui imbecillitatem quid velint assequi: equidem nolim te animo discruciatu di-

tius,

tius, sed moneo cogites tuò aliquo bono fieri, quod nonnulla te lateant: ut non dicam, ad Scripturæ quoque dignitatem amplificandam facere, si quædam in ea minus intelligantur.

Primum, non est necessarium quæ in Libris Sacris recondita sunt, percipi abs te omnia. Multa nullo salutis dispendio ignorantur. Qui tenet præcipua Doctrinæ Christianæ capita, egregiè doctus est, quamvis ad abditos recessus sublimium mysteriorum non conscenderit.

Secundò, cum te nonnulla fugiunt, admoneris, ut agnoscas quosdam esse gradus in rerum divinarum cognitione: neque subito, sed paulatim sacra addisci. Non creatur magister, qui non extiterit longo tempore discipulus. Christus suos sectatores dicebat non potuisse cuncta capere, se præsentè: plenius autem à sua morte, ubi Spiritus Sanctus mitteretur, multa intellecturos. Joan. 16. Quinetiam iidem Apostoli multò post acceptum Spiritum Sanctum, quædam clarius quam antè percipiebant, de quibusdam interim difficultatibus, acutè disputantes: quod splendidius eluceret veritas. Act. 15. Apostolus confitetur, se parvulum sapuisse ut parvulum: at virum factum longè aliter cœpisse judicare. 1. Corinth. 13. Et ad Ephes. 4. quidam describuntur in agnitione filii Dei pueri: quidam in mensuram plene adultæ ætatis crescentes. Vide igitur tu, & tecum reputes, quousque promoveris, & in quota classe sis collocandus.

Tertiò, quoties offeruntur quæ captum tuum multis parasangis superant, toties cogaris tuarum virium agnoscere infirmitatem, atque confiteri, te etiamnum carnalem & animale esse hominem, qui sapere nondum possis, quæ sunt Spiritus Dei. Quæ profectò cognitio, utilitatem & cognitionem non parvam & certam secum adfert. Quo quis humilior, eo magis idoneus efficitur, ad expedire percipiendam nûminis voluntatem: *Bonum mihi Domine, inquit ille, quia humiliasti me, ut discam mandata tua.* Et in more habet Pater Cælestis, quæ abscon-

ditu sunt sapientibus, ea parvulis revelare. Matthæi undecimo.

Quartò, acuitur eo pacto in te diligentia, pariterque accenditur discendi cupiditas. Quæ obscura difficiliaque apparent, sæpenumerò avidissimè omnes expetunt cognoscere. Et quisquis generosus est spiritus, excel-sique animi, is dubitationis & incertitudinis est impatiens. Cujus rei exemplum videre licet, tum in Thessalonicensibus: qui Actorum 17. quotidie scrutabantur Scripturas, an ita se haberent, uti annuntiari audierant: tum in Eunucho præfecto Candaces Reginae Æthiopiæ, qui ex difficultate loci permotus est ad rogandum humiliter abs Philippo, quomodo Prophetæ verba intelligi deberent. Actor. 8.

Quintò, tua inscitia, & mysteriorum amplitudo, occasionem præbent invocandi ejus opem, qui solus habet clavem David, & potest solvere signacula libri clausi. Deus namque invocari gaudet, nec facillè ostium aperit, nisi pulsantibus. Et ne pigri essemus ad invocationem, ipse pulsari præcepit: ne verò diffideremus, sese aperturum est pollicitus. *Pulsate*, inquit, & *aperietur vobis.* Matthæi 7. Si ad primam vel secundam præcautionem non obtines quod flagitas, ne mireris: divina est ordinatione institutum, ut per omnem vitam in rerum spiritualium palestra athletæ maneamus. Discimus enim quamdiu vivimus. Ac præstituit quidem Deus certum unicuique cognitionis modum: verumtamen aut tempus exauditionis, aut mensuram donationis sibi præscribi non patitur. Vides ergo, quemadmodum tuo bono quædam tibi patefiunt, ita tuo quoque bono, aliqua abdi, & recludi.

Sextò, quid quod eadem ex re accedit Sanctæ Scripturæ incredibilis quædam majestas, atque ejus auctoritas apud omnes crescit? Nam vel hoc nomine nullus non eam miratur, suspicit, colit, quod videt sapientes ac maximarum rerum peritos homines, ad res divinas, sub humili oratione reconditas, obstupescere,

&

& multis locis quo Auctor Spiritus Sanctus intendat digitum, ne suspicari quidem posse. Quis valde esse sublimē dubitabit, quod adeo industriis viris inexploratum manet? Divus Augustinus antequam nostræ religionis sacris esset inauguratus, cum cetera quidem doctissimus, universæque Philosophiæ humanæ haberetur, & esset callentissimus, de se ipse faretur, Confes. lib. 7. cap. 19. Quid Sacramenti contineret illud Joannis: *Verbum caro factum est*, nunquam se vel cogitatione quivisse apprehendere. Citò in contemptum veniunt, quæ cuivis de media plebe fiunt pervia: at quæ non dicam mediocres, sed Principes hujus sæculi omni civili sapientia imbuti, & magni nominis, non attingunt, ea supra humanam sortem posita, & non nisi iis, quos Spiritus Dei afflarit, accessa esse, oportet omnes, velint nolint, largiantur. Atque hinc toties auditur repetita Apostoli Pauli, invisā quidem, sed tamen justā gloriatio, qua passim prædicat se loqui sapientiam Dei, in mysterio reconditam quidem illam, & præfinitam ante sæcula, sed ad gloriam omnium credentium sibi revelatam, principibus autem sæculi minime cognoscibilem. 1. ad Corinth. 23. Scitè dictum est ab Augustino ad Psalm. 119. Qui diligit Dei legem, etiam quod in ea non intelligit, honorat. (*)

Septimò, sed & illud scire debes, quædam revera in Scripturis esse reposita, quæ curiosius rimari ne expedit quidem, vel si maximè foret integrum. Ab aliis enim prudenter abstineas, quoniam sunt nimis ardua, humanique ingenii vires excedunt ab aliis verò, quoniam etiam percepta exiguam adferrent commoditatem. In priori ordine collocari possunt pleraque de natura Dei, de Trinitatis Mysteriis, de prædestinatione, atque similibus rebus arcanis, quæ indicantur verius quam exponuntur. De qualibus apparet sensitse Apostolum, quando ait: Sibi raptò in tertium cælum esse visa, quorum *non licet apud homines* fando meminisse.

(*) *Quæ sequuntur prætermissit hic Typographus. Edidit lib. 2. de Rectè formando Theologiæ studio, cap. XXI.*

se. At idem ad Roman. 11. in locum arduum ac difficilem de electione ac reprobatione incidens, non prosequitur longius, sed orationis præcurrens filium, exclamat: O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei, *quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viae ejus!* In posteriori ordine sunt hæc: qualis, vel ubi sit paradysus, ubi initio Deus constituit hominem ex pulvere formatum? quem in locum sublatus sit Elias, vel Enoch? quot sint cæli, ad quorum tertium Apostolus se raptum commemorat? item ab insulsis & curiosis hominibus agitari solitæ quæstiones, de Genealogiis, logomachiis, & similibus ineptiis.

Ex æquo periculosum est & scrutari majestatem cuius opprimaris gloria, quemadmodum docet nos omnium quos sol vidit mortalium sapientissimus Salomon, Proverb. 25. Et movere pugnas legales, sive inutiles quæstiunculas, quales omni studio devitandas præcipit doctissimus rerum divinarum Apostolus 1. ad Timot. 1. 6. 2. ad Timoth. 2. ad Titum 3. Sanè sicut in aliis negotiis, ita in rerum obscurarum investigatione mediocritas, quam non sine causa auream quidam nuncuparunt, apprimè est commendabilis.

Agè igitur, bono sis animo quisquis es, & patienter feras quædam intricata dubiaque relinqui, quando ex hac tua ignoracione, ad agnitionem tui, ad humilitatem, ad diligentiam, ad invocacionem divinæ opis provocaris deinde verbi Dei dignitas magis ac magis sese exerit. Parit ista ignorantia magnarum rerum, quas alioquin videbaris neglecturus, in te scientiam: ut hac de causa, doctam quoque ignorantiam possimus merito interpretari. Nisi enim salebræ & impedimenta quædam tibi obstarent, ingenium tuum moderari non posses: & nullo modo ad capessendas res per sese optimas, quas commemoravimus, excitareris. Et interea prodest, mentem hac spe confirmari: quod ubi ex Scholâ ista terrena, quæ semper aliquo errorum strepitu & caligine percellitur atque obtenebratur, migraverimus, ad Scholam sumus per-

venturi caelestem in qua dabitur audire communem omnium, qui Libros Sacros ad posteritatem transmissert, præceptorem, Sanctum inquam Spiritum: dabitur perfecte cognoscere universam religionis doctrinam, non veluti in speculo aut ænigmate, sed absolutam, defæcatam, puram, & æternam: imò res ipsas divinas dabitur videre quales per sese existunt.

CAP. ULTIM.

IN QUO TRACTATUR QUATENUS

liceat Concionatori verbi Dei Philosophorum

doctrinas inter declamandum tractare.

Videat etiã atque etiam Concionator in patrum monumentis, Philosophica à Theologicis sapienter discernat. Ignorat nemo, veteres Theologos, in primis Græcos, solere subinde suis Commentariis pleraque ex Philosophorum diatribis aspergere, maximè verò ex Platonis Academia mutuo sumpta. Siquidem cum Aristoteles, nondum ita esset, uti nunc, commendatus (nam primus eum obtrudere studiosorum manibus cœpit Alexander Aphrodisæus, Severo & ejus filio Principibus, id est, circiter annum Christi 200. postea verò ubi Scholæ publicæ in Italia & Gallia sunt institutæ, aggressi sunt eum publicè interpretari) unus Plato omnibus erat in delitiis, & cuncti bonarum litterarum cultores Philosophiæ Platoniciæ operam in Scholis navabant. Cujus rei testis etiam est Socrates Constantinopolitanus, tripartitæ historiæ lib. 5. cap. 13. Hieronymus scribens ad Magnum Oratorem Romanum, clarissimos viros multos enumerat, qui Christianæ religionis agentes negotium, permulta de Platoniorum & quorumvis Gentilium libris usurparunt, & quidem non aspernando Ecclesiarum fructu atque ornamento.

D. Augustinus verò se de Platoniorum fuisse contu-

ber-

bernio, non uno loco narrat & gloriatur, quin etiam commendat aliquoties dogmata Platonica, ceui proxime ad Christianæ fidei doctrinam accedentia, de Civitate Dei, lib. 8. & in Confessionibus.

Ubicumque igitur Philosophica occurrunt, duo sunt, in quæ animo oculisque intentum esse pium Concionatorem oportet. Alterum, ut dispiciat qua occasione, quemve ad finem, illa à Scriptoribus Theologis adhibeantur. Alterum, ut caveat modis omnibus, ne lubricis opinionibus Philosophicis, quæ speciem recti frequenter imponunt etiam sapientibus, in animo locum det, & præ his negligat certam ac solidam doctrinam in Sacra Scriptura expositam. In quorum utroque quomodo consulere sibi quisque queat breviter indicabimus.

Quod ad prius illud attinet, animadvertimus, quatuor in primis de causis philosophica placita Theologorum Commentariis esse admixta. Prima hæc est. Plerique ex vetustis Scriptoribus adolescentiam aut virilem ætatem prius sunt ingressi, quam ad Doctrinam Sacram, vel Christianam Religionem animum applicarent, quidquid verò antecesserat temporis, id audiendo, vel etiam docendo Philosophica, & litteras humanitatis appellatas, consumpserunt, quod de Augustino, & quibusdam aliis notissimum est. Nonnulli verò in quibus Pantenus, Heraclas, Ammonius, Origines, Didymus, Anatolius, & plures alii, tum quoque cum Sacras Litteras Alexandria vel alibi profitebantur, in Philosophiæ partibus tradendis in Schola adhuc fuere aliquamdiu occupari, Eusebio referente Histor. Ecclesiast. lib. 6. cap. 15. His igitur, qui aut à teneris unguiculis, & antequam Christi sacris initiarentur, Doctrinam Philosophicam imbibierant, aut adhuc postquam initiati fuere, in eadem se oblectarunt, atque exercuerunt, perquam difficile fuit illam prorsus abjicere, & non amplius quæ dudum perceperant, reducere ad memoriam. Tritum est proverbium, primam salivam semper optime sapere, & hæere tenacissime quæ rudibus annis perceperimus. Qui autem hoc pacto, partim quia diutissime assueverant, partim velut recreandi animi gratia

tia ex Philosophiæ aditis eruta in Christianorum officinis ostentant, illis meo iudicio existunt persimiles, qui cum onusti opibus Ægyptiorum pervenirent in desertum ultra mare rubrum, respirantes paululum, & quiescentes, suas aperiebant sarcinulas, atque vicinis commonstrabant quid secum ex Ægypto asportassent, vel illis potius, qui ad conditionem qua paulò ante apud Ægyptios vixerant, hoc est, ad ollas carniùm, similesque in tristi servitute sordidas lautitias respectabant, atque earundem recollectione animum suum reficere miseri volebant. Exod. 16.

Secunda causa, ob quam Theologi Philosophica quædam referunt, plus laudis quam præcedens obrinet, utpotè per quam legitimus Philosophiæ usus patet. Usi sunt Philosophia, sed declarare volentes, quomodo ipsa tamquam fidelis ancilla seu pedissequa, servire debeat dominæ suæ, & omnium disciplinarum reginæ Theologiæ. Quidquid enim eximum in Philosophia quamlibet latè deducta inest, par est ad Theologiæ dignitatem ornandam, ampliandamque convertatur.

Nec potest nisi noxia esse Philosophia, quândiu ad Dei gloriam non dirigitur. Sunt namque Artes liberales, Physice, Ethice, & quæcumque Philosophiæ nomine comprehenduntur, præclara Dei dona, quibus Philosophi plerique omnes, aut ad Dei contumeliam, aut frequenter ad hominum, quandoque etiã ad suam ipsorum perniciem turpiter sunt abusi, quorum alterum quidem effectum est, quando Deum, qui se manifestavit ipsis, non coluerunt, quemadmodum decebat, sed spreto eo, alios sibi Deos beatitudinis largitores commenti sunt: alterum verò quando vel tradendo falsas & idololatrias opiniones, vel dando pestifera consilia, innumerabiles homines in discrimen pertraxerunt. Itaque quoniam Gentiles Philosophia nesciverunt recte uti, justo Dei iudicio ipsi, tamquam indigni possessores, ea spoliantur per Christianos, quorum officium est, deinceps illa decenter uti, atque quidquid in ea boni inveniunt, hinc ad sanctificandum celebrandumque Dei nomen, inde ad procurandam humani generis communem utilitatem expendere. Quæ in re non mi-

nus gratum Deo præstant obsequium, atque olim Hebræi qui divino jussui morem gerentes, exuerunt Ægyptum auro, argento, & pretiosis vestibus, & non multò post hæc ipsa alacri animo contulerunt ad extruendum tabernaculum, in quo Deus majestatem suam notam testatamque facere, necnon religiosè ab universis adorari & coli voluit. Quam rationem D. Augustinus de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 40. & Hieronymus in Epistola ad Magnum Oratorem doctissimè exponunt, multisque argumentis comprobant, ac nisi deterruisset prolixitas, maluissem eam ipsorum verbis, quam meis referre. Quædam insuper in eandem annotantur sententiam *Distinct. 37.* Debebant autem Concionatores his duabus causis, jam expositis non ita facilè permoveri, atque aut parcissimè dogmata philosophica expromere, aut semper cautionem seu opportunam interpretationem statim adhibere.

Enimverò, quicumque Philosophiam nimis familiariter intromittit in conclave, ubi amplissima negotia spiritualia pertractantur, atque ejus audita sententia, aut consilio, non continuò adjicit ex pœnu verbi Dei temperamentum, hic non modo improvidis lectoribus dubitandi errandique existit Auctor, verumetiam tacitè de se suspicionem omnium animis injicit, quod Philosophiæ diuturno commertio, ac lenociniis seductus perperam ipse senserit, & meliora ignorarit. Quod haud scio an ipsi Augustino Episcopo & seni, & per omnia laudatissimo, quandoque usuvenerit. Is namque Enchiridii ad Laurentium, cap. 58. disputans de natura Angelorum, cum dixisset se ambigere, num recte aliqui constituent ordines Angelorum, in quibus alios vocant Archangelos, alios Dominationes, alios Potestates, alios Virtutes, &c. mox ita subjicit: Sed nec illud quidem certum habeo, utrum ad eandem societatem pertineant Sol & Luna, & cuncta sydera, quamvis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia, videantur. Hæc dubitatio ex Platoniorum assertionibus, animo Augustini inhærentibus, & forsitan tunc apud philosophantium conventicula jactatis,

tis, nata est: aperte autem hoc dogma Platoniorum verbo Dei repugnare deprehenditur. Neque enim definit Scriptura, Solem, Lunam, Stellas, esse animales ratione ac sensibus more nostro, ut illi volebant, prædita, multò minus definit esse creaturas Angelis pares, vel Angelorum cœtui annumerandas, sed perspicuè ait, corpora esse per se à Deo condita, quæ emineant & luceant in firmamento cœli, atque lucem impartiendo omnibus hisce inferioribus, discrimen faciant diei à nocte, quin etiam sint, in signa ac stata tempora, in dies atque in annos, ut nimirum anni partes, omniumque temporum vices ordinent ac moderentur. Genes. 1. Psalm. 104. 136. Neque etiam stellæ decernuntur esse spiritus, quemadmodum Angeli. Psalm. 104. Hebr. 1. Sed alii melius de totâ hac re iudicabunt. Idcirco autem adscripsi hæc de beatissimo Patre Augustino, quo omnes advertentes, quid tanto viro acciderit, certius intelligant attentione opus esse multò maxima in legendis dijudicandisque lucubrationibus Neophytorum, atque aliorum quorumcumque, qui Philosophorum doctrinis prope toti sunt immersî.

Allegoria est venustissima, qua admonet Hieronymus, si philosophorum placitis & quibuscumque dictis, uti libuerit, operæpretium esse abradamus & præcidamus in iis quæ supervacanea vel noxia conspiciuntur, dum apta fiant omnia nostræ religionis argumentis, quæ habemus in manibus. Domini voce in Deuteronomio præcipitur, inquit mulieris captivæ (cum qua Philosophiam vult conferri) radendum caput, supercilia, omnes pilos corporis amputandos, & sic eam habendam conjugio. Quid ergo mirum, si & ego sapientiam sæcularem, propter eloqui venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Israelitiden facere cupio? & si, quidquid in ea mortuum est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor meus in familiam Christi proficit, stuprum in alienam, auget numerum servorum. Sed hæc de secunda causa satis.

Tertiò, coacti sunt Sancti Patres sæpenumerò ad Philosophicas res descendere propter adversarios, sive Gentiles, sive Hæreticos. Si quando enim nostris hominibus negotium fuit cum Gentilibus, apud quos Sacra Scriptura, in nulla aut modica erat existimatione, necesse habebant nostri ex philosophis, poetis, historicis, omnique Gentilium Bibliotheca, quam solam illi recipiebant, ac venerabantur, conquirere, quod pro se & veritate tuenda faceret, atque ita Gentiles suo ipsos gladio confoderet. Quod Apostolum quoque fecisse videmus, qui non dubitavit, disputans apud Athenienses, præterea scribens ad Corinthios, & ad Tirum, testimonia de poetis sumpta usurpare.

Qua in re adeò deinceps profecerunt nostri, & pleaque invictæ aternæque religionis nostræ capita certa esse tam evidenter ex ipsorum Gentilium monumentis demonstrarunt, ut non pauci Gentiles ad nostram religionem, contempta sua avita, amplexandam adducti sint, ut Adrianus Imperator, delinitus libro quem ei obtulit Quadratus Episcopus Atheniensis, persequi nostros destiterit, ut Julianus, tantam invidens nostris gloriam, ratus sit, publico edicto cavendum, ne litteris philosophicis dare operam Christianorum liberi amplius permitterentur.

Adversus hæreticos autem nostri depugnantes, arma philosophica arripere, seque iis munire sunt coacti, quod cernerent eos, quamvis Scripturas admitterent, tamen errorum suorum venena, ex Philosophorum & Poetarum Circæis poculis primum hausisse, deinde ex iisdem præsidium omne petere solitos. Quam ob causam non minus lepide quam verè dixit Tertullianus, Philosophos esse hæreticorum Patriarchas. Hæretici namque ingeniosissimi fere semper homines, dialecticorum contortis & aculeatis sophismatibus, atque omni instrumento Philosophico pulchrè instructi, magnam & firmam sibi spem injiciebant de religionis nostræ doctrina per se simplici, & omnibus auxiliis externis orbata, cito ac facile evertenda. Atqui nostri, maximè qui antea in Philo-
pho-

phorum castris militassent, necnon eminus, & cominus, & quovis telorum genere certare essent periti & parati, utiliter restiterunt, & jacula Philosophica in Ecclesiam vibrata, celeriter admirabile agilitate ac viribus re-torserunt in adversarios, qui emiserant. De qua hæreticorum versutia, ac vicissim nostrorum heroica virtute, ex Tertulliani, Irenæi, Epiphani, Augustini, aliorumque scriptis contra hæreticos paratis, plura licet cognoscere.

Quartò & postremò, visuntur splendori rerum Theologicarum implicata & commista nonnulla de Philosophia humana propter quæstiones quasdam ab ipsis Christianis in Ecclesia propositas. Disputatum est Hieronymi & Augustini sæculo de origine animæ, & utrum anima sit ex traduce. Et ante ea tempora, utrum Deus sit incorporeus, an verò & anima incorporea existat, præterea de arbitrio, & voluntate humana, & pluribus hujusmodi. Ut non dicam in principio Geneseos, in Psalmis, in Job, in Ecclesiaste, tamquam in cineribus reconditas esse quasdam hinc inde scintillas, ex quibus interpretes, si modice saltem afflaverint, suscitare citò queant, disputationum philosophicarum ingentes flammæ. Hoc autem genus quæstionum cum non possit revera expediri sine Philosophiæ præsertim naturalis adminiculis, quid effecissent eruditi Theologi, si à commorantibus in vicinia Philosophis nihil quidquam supellectilis mutuo accepissent? Quid? quod nonnulla à Philosophis olim discussa, magnam habent cum Doctrina Christiana affinitatem? satagunt verò Theologi ostendere, quomodo accipi eadem debeant, & distinguunt qua in parte veritati consentanea loquuti illi fuerint, quave in parte hallucinati. Tale est, cum quæritur, an peccata omnia sint, ut Stoici opinabantur, paria? an probari possit eorundem Stoicorum *απαθεια*? an virtutes Gentilium æquent virtutes Christianorum? an quorumvis hominum, etiamque impiorum benefactis rependat Deus præmia? Utrum mundus ex nihilo extiterit? an ex præjacente materia? an idem sit sempiternus aut finem habiturus? Utrum gubernetur numinis provi-

dentia, aut casu fortuitoque ferantur omnia? An sit fatum? an necessitate fatali cuncta eveniant? An stellæ & corpora cælestia aliquid valeant in dirigendis hominum voluntatibus? Non possunt sanè effugere Theologi, quin de his & similibus quæstionibus interdum disserant: non possunt autem quantum satis erit disserere Philosophia penitus eliminata & exclusa.

Ex his omnibus igitur promptum est dispicere, quas ob causas Scriptores Theologi locos Philosophicos, aliquoties obiter attingant, vel excutiant diffusius.

Itaque pii Concionatoris officium est diligenter advertere in Auctoribus quibus evolvendis distinctetur, quo de negotio potissimum hic disputent, quod ubi probe intellexerit, perfacilè agnoscet, qua occasione, & quem ad finem philosophica sint adhibita, id est, an propter studium diu multumque in iis ante collocatum, an ut verus usus Philosophiæ ostendatur, atque ea Christianorum res ornentur, an propter Adversarios, seu Gentiles, seu Hæreticos, an denique ob quæstiones aliquas in Ecclesia agitatae. (*)

In eam verò partem accipiat & interpretetur oportet omnia, in quam deprehendit ab ipsis Scriptoribus esse in medium prolata. Jam verò quod ad posterius attinet, de quo initio diximus, quod nimirum cavendum summopere sit, nequis contagione ex philosophorum thesibus & pronuntiatis contaminetur, & ne insidiosè fallatur quispiam blandis atque artificiosis subtilium hominum persuasiunculis, faciliè, dum ipsi voluerimus, in tempore succurritur. Quisquis, tum ex Sacris Libris Canonicis, tum ex lucubrationibus inscriptis de locis communibus Theologiæ, vel de Ecclesiasticis dogmatibus, sanam doctrinam religionis Christianæ semel imbibit, ac proinde expedite potest vera dogmata discernere à falsis: præterea assuevit, quotiescumque obscurum vel dubium quid obvenerit, ad Ecclesiam Romanam esse recurrendum, ut quæ Scripturarum Sacrarum habeat clavem & spiritum, tamquam ad lydium lapidem probandum, huic integrum erit, sine

(*) Hic finis operis in prioribus editionibus: sequentia ex altero peritius volumine.

offensione ac detrimento, in monumentis non tantum Theologorum, qui nihil aliud quam hinc inde philosophica quædam tenuiter aspergunt, sed ipsorum quoque philosophorum, ex quibus eadem omnia sunt deprompta, versari.

Frigidus ac jejunus quo Tractatus desinit modus, subindicat Typographum, seu alium preproperum rei edendæ amatorem, exemplar arripuisse, nondum ab Auctore absolutum. Sed cum multa ex alio ipse opere de ratione studii Theologici huic accommodaverit; opportunè etiam poteris ultimum prioris operis caput, ubi de scopo agit ad quem omnes suum studium pii juvenes referre debent (in propriam scilicet, & aliorum utilitatem) huc adducere, finem pro coronide cum fine componendo, operis nimirum, in magistro, & operum in discipulo

ROMÆ CORAM
ALEXANDRO VI
FINIS.
POPULI ROMANI
IN PARASCEBE HABITA
De tantum probata, ut iterum, ac iterum
cum rursus aliter cogitatur.

FR. LIPPI AURELII
 BRANDOLINI
 AUGUSTINIANI
 ORATIO

DE VIRTUTIBUS D. N. JESU CHRISTI
 Nobis in ejus Passione ostensis.

ROMÆ CORAM

ALEXANDRO VI.

PONTIF. MAXIM.

IN PARASCEBE HABITA

*Ac tantum probata, ut iterum, ac iterum
 eam repetere Actor cogeretur.*



FR. LIPPI AURELII

BRANDOLINI

AUGUSTINIANI

ORATIO

DE VIRTUTIBUS D. N. JESU CHRISTI

Nobis in eius Passione ostensis.

ROMÆ CORAM

ALEXANDRO VI.

PONTIF. MAXIM.

IN PARASCEBE HABITA

Ac tamquam probata, ac iterum, ac iterum
tam repetere Actor cogere.



LIPPUS AURELIUS

BRANDOLINUS

AUGUSTINIANUS EREMITA.

B. P. AC DOMINO NOSTRO

ALEXANDRO VI.

PONTIF. MAXIM.

Salutem in Domino, & felicitatem dicit,



*Quum apud Beatitudinem Tuam
proxime in Parasceve Oratio-
nem de Salvatoris nostri virtu-
tibus habuissem, Tu eam, pro
tua singulari benignitate, & tunc absente*

me, & postea præsente, tibi ita placere ostendisti, ut mihi & per nuntios, & coram, gratias non semel ageres. Quod quidem quantæ humanitatis sit, ut tantus Pontifex Christianæ Religionis Princeps, Christi in terris Vicarius humillimum, atque indignissimum hominem audiat, collaudet, accersat, gratis prosequatur, dici oratione non potest. Quibus quidem rebus tametsi ego indignus sum, gaudeo tamen, mihi potissimum contigisse, ut in me tanta tua mansuetudo eluceret. Cupiens itaque tuæ Beatitudini meum animum aliquo vel levi officio significare; & tenuitatis meæ conscius, quum neque haberem quod offerrem, neque vellem vacuus ad sanctissimum tuum conspectum accedere, eam ipsam, quam habueram, Orationem tuæ mansuetudini legendam obtuli: ratus, me tibi rem non ingrati facturum, si quod tibi semel auditum quasi eminus placuisset, cominus legendum, atque habendum traderem. Neque dubitavi, ne exacto jam suo tempore, gratiam novitatis amisisse Oratio videretur, quum soleant, quæ semel
 pla-

placuerunt , etiam repetita non displicere ,
 Et tua Beatitudini oblata res sacræ , ut Hos-
 tiæ , quæ Deo offeruntur , semper tempestivæ
 sint. Neque etiam maximi tui aut acumen in-
 genii , aut severitatem judicii veritus sum ,
 quod plerique Scriptores vereri solent ; quum
 quasi vadem habeam testimonium , ac præ-
 judicium tuum ; nec putem , quod semel pla-
 cuit , displicere jam posse. Accipe igitur exi-
 guum quidem , Et tua magnitudine indig-
 num munus , sed nostri erga te optimi animi
 certissimum pignus , nostræque servitutis
 quasi validissimum auctoramentum : eoque
 animo nostram hanc oratiunculam accipe ,
 quo Deus duos vetulæ obolos dicitur suscepisse.
 Quum enim Principes dare magis deceat ,
 quam accipere , quippe qui dando beatiores ,
 ac Deo similiores fiant , siquid ipsi ab aliis
 accipiunt , ipsius Dei exemplo , Et dantis ani-
 mum debent librare , non munus , Et pro exi-
 guis maxima , amplissimaque referre. Qua-
 rum rerum , si ego à tua Beatitudine alteram
 impetravero , ut studium , atque animum
 nostrum non spernas , utramque me impe-

trasse existimabo. *Quum* vero aliquid otii
 nactus fuero, ut me ad scribendum referre
 queam, dabo operam, ut intelligas, quan-
 tum tibi debeam, quantique semper tuam
 Beatitudinem fecerim. Tu interea Christia-
 nam Rempublicam, ut facis, & defende, &
 serva; nostræque exiguitatis, quum licet,
 te memorem esse non pigeat. Vale.



ORATIO.

ETSI Tuus, tuique Sacratissimi Senatus jucundissimus conspectus, celeberrimusque hic totius orbis terrarum Conventus, me majorem in modum recreat, atque exhilarat, *Beatissime Pater*: quippe quem ego semper optaverim, sperare vix unquam sum ausus; vincit tamen mœrorum publicam privatam lætitiâ, communisque Ecclesiæ Christianæ luctus, unum me hilaritatem præferre non sinit. Vix deo enim squalere, depositis ornamentis, pulvinaria omnia; nudata mœrere altaria, parietes ipsos situ quodam suum dolorem significare. Te quoque, ac senatum tuum, mutata veste, communem Ecclesiæ mœrorem, luctumque testari. Neque sane immerito: commemoratur enim nobis hodie Salvatoris nostri mors acerbissima: proponitur ante oculos crudelissimum divinæ Crucis spectaculum: indignissima Dei Filii Passio celebratur. Cujus quidem tum magnitudo, tum acerbitas, tum indignitas, quum ad nostram memoriam revocatur; quis hominum, obsecro, est tam immanis, tam sceleratus, tam ab omni religione, atque humanitate alienus, qui dolorem dissimulare, atque à lacrymis temperare unquam possit? Non enim nobis hodie amicus aliquis, non propinquus, aut consanguineus, non frater, aut Pater, non denique Princeps aliquis civitatis, defunctus refertur: sed totius naturæ Auctor, & Conditor, humani generis universi Redemptor, & Parens, dignitatis, ac salutis nostræ Instaurator, & Effector: verus denique, ac naturalis Dei Filius, à quo omnis vitæ nostræ ratio, incolumitatisque dependet: in quo spes nostra omnis est sita: per quem & quæcumque habemus, accepimus omnia, & quæcumque speramus, accepturi sumus. Hic inquam, nobis hodierno die defunctus refertur: hic mortuus celebratur: hic deploratur extinctus. Neque vero naturali, ut plerique homines, morte decessit, sed violenta ereptus est: neque etiam qua-

R

cum-

cumque , sed turpissima , abjectissima , indignissima Crucis morte multatus est. At meritas fortasse suorum scelerum pœnas dedit ? Immo vero , pro nostris flagitiis , pro nostris criminibus , pro nostra turpitudine : quum ipse innocentissimus esset , neque quidquam aut admisisset unquam , aut admittere poruisset , ultro se cruciandum , occidendumque exhibuit. Quæ quidem quum à nobis audiuntur , quum leguntur , quum celebranda proponuntur , quo tandem animo esse debemus , *Beatissime Pater* ? quo pacto dolorem dissimulare ? quomodo lacrymas continere possumus ? quo vero ingenii flumine ? quacopia dicendi ? quanta vi eloquentiæ , ad explicandum Divinæ Crucis mysterium , opus esse censemus ? Non enim nunc aut Gavianam Crucem , ut Tullius ; aut Casaris necem , ut Maro ; aut Principis alicujus mortem , ut veteres sæpe fecere , deploramus , aut describimus : sed eam Crucem , in qua Christus Rex regum , Princeps principum , verus Deus , Deique Filius , ab iis ipsis , quos creaverat , quos legibus erudierat , quos innumeris beneficiis affecerat , quorum denique causa factus Homo ad homines venerat , contra jus , fasque omne crucifixus est. Quam quidem mortem & Cælum , & Sol , & sydera , & elementa , & creata universa luxerunt. Hanc vero quum nulla vis eloquentiæ attingere , nullum ingenii acumen penetrare , nullius mentis amplitudo comprehendere , aut complecti queat , & tamen ipsa diei celebritas , deman- datique nobis officii necessitas nos cogat non tacere ; ab Auctore omnis ingenii , omnis eloquentiæ , initio dicendi opem suppliciter implorabimus , ut , quod de ipso , ad ejus gloriam dicere statuimus ; de ipsius potissimum , quantum ipse expedire novit , in nos munere , ac liberalitate proveniat. Et qui suam ex infantium , & lactentium ore laudem perficit , nobis in suo nomine congregatis , de se aliquid non indignum dicere cupientibus , adesse dignetur. Quoniam autem & altissimum Crucis mysterium , & Christum in Cruce pendentem hodie celebramus , ipsam potissimum hoc carmine Crucem venera-
dimur.

Supplicium servorum olim, nunc gloria regum,

Mors olim miseris, nunc data vita reis.

Cruce, solium, currusque Dei, spes unica Mun¹;

Sis via, sis nostræ porta salutis, Ave.

Cum universa Salvatoris nostri vita; tum ejus in primis Passio, *Beatissime Pater*, nobis non modo exactissime cognoscenda, verum etiam, quoad fieri potest, perfectissime imitanda est: ut quemadmodum Christus non solum præceptis nos saluberrimis erudit, sed sanctissimis quoque exemplis instituit; ita nos & quæ docuit, fideliter retineamus, & quæ gessit diligenter imitemur: propterea enim docuit, ut sciremus: propterea gessit, ut ageremus. Quæ duo nobis per Mosem mystice significat dicens: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Quamquam autem universa ejus, ut dixi, vita (quippe quæ omni virtutum, ac perfectionum genere consummatissima fuerit) nobis perdiscenda, atque imitanda est; ejus tamen in primis Passio, quæ cumulum quemdam virtutum, perfectionumque omnium, utpote postrema ejus vitæ pars, complexa est; nobis cum in reliqua vita, tum hoc potissimum tempore ad memoriam revocanda, & ad imitationem proponenda est, dicente Petro Apostolo: *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.* Nam, si paupertatis exemplum quærimus; nudatum hodie Salvatorem, & omni terræ habitatione destitutum, in Cruce sublimem, ipsum etiam caput ubi reclinet non habentem, conspicimus. Si pudicitiae testimonium poscimus; eum Matrem virginem virgini discipulo commendantem audimus. Si obedientiæ formulam desideramus, eum non modo Deo Patri, sed pessimis quoque, ac vilissimis hominibus usque ad mortem obsequentissimum intuemur. Si liberalitatem in eo, beneficentiamque requirimus; eum non lacrymas modo, sed sanguinem quoque ipsum, salutis nostræ gratia passim effudentem,

immo etiam corpus, atque animam, rerum omnium charissimam saluti nostræ donantem cernimus. Si clementiam in eo, & animi magnitudinem postulamus; cum pro inimicis orantem, latronique ignoscentem videmus. Quæcumque denique virtus, quæcumque animi perfectio aut reperiri in homine, aut desiderari potest, ejus Christi Passione clarissimum nobis exemplum ostenditur. Quæ quidem omnia si ego oratione prosequi vellem, nullus esset dicendi finis omnino. Sed quoniam ego apud sapientissimum Pontificem, Senatunque doctissimum verba facio, quem docere ex hoc loco nec possum, nec debeo; ut demandatum mihi munus quoquomodo expleam, ex infinita illa virtutum multitudine, quas hodie nobis in Passione Salvator discendas, imitandasque proposuit, quatuor tantum, quæ ad cognoscendum dignissimæ, & ad imitandum aptissimæ mihi visæ sunt, commemorabo: summam ejus *justitiam*, *charitatem* singularem, inauditam *humilitatem*, *patientiam* incredibilem, vereque divinam. Neque etiam has ipsas universas explicabo; non enim omnia aut ego dicere, aut tu *Beatissime Pater* audire unquam posses: sed ex singulis paucissima tantum, & quæ optima, & commodissima videbuntur, perstringam. Tu, tua sapientia, ex his, quæ dicam, cetera facileprehendes.

Ac de *justitia* quidem dicere cogitanti, illud præferi libet, me de Christi virtutibus, non quidem absolutissime, ut par esset, quasi de Divinis (nam id quidem nemini mortalium arbitror posse contingere) sed quasi de humanis, leviter, atque humano more locuturum. Atque in hac quidem virtute cum multa præclara, atque admirabilia sint, quæ in divinam laudem referri queant, illud in primis, & maximum, & maxima admiratione dignum occurrit, quod Deus hominem à se creatum, in sua potestate constitutum, sibi à suo nequissimo servo versutiis, dolisque subtractum, violenterque detentum, quum ex ejus manibus eripere jure suo & debere, & posset, redimere tamen ingenti pretio maluit. Quid enim, ut verum fateamur, juris in conditum paulo ante

ho-

hominem diabolus habeat? Immo quum ipse & ab eodem Deo paulo ante conditus, & ejusdem Domini, vellet, nollet, servus esset; quid in illum habere juris poterat? At peccaverat, inquit, homo, & seipsum diabolicæ ditioni subdiderat. Primum ego hoc à te requiro, diabole (tecum enim mihi modo res est) quis tibi hoc juris in hominem dederat, ut eum dolis præriperes? circumvenires? falleres? an alienum eum servum esse nesciebas? Quæ tibi in alienum servum potestas? an te quoque servum, & ejusdem Domini servum esse non memineras? Debebat certe te id satis, abundeque docere, casus tuus. Quod si es ejusdem Domini servus, eique etiam tuo scelere invisus, atque odiosus eras; quæ tibi in alieno Regno potestas? quod tibi in alienum servum, immo in tuæ servitutis socium, adhuc innocentem, suoque Domino parere cupientem, jus erat? Sed permittamus tibi, ut eum invidia, & malignitate tentares: neque undè tu cecidisses, ibi consistere hominem pateris. Fateamur peccasse hominem, & supplicium meruisse: quis, obsecro, eum tibi puniendum, cruciandumque tradiderat? quis te ejus delicti vindicem, & carnificem fecerat? Nonne igitur Deus servum suum, in suo Regno, à suo servo, per invidiam circumventum, diuque detentum, jure optimo ex ejus manibus eripere poterat? immo vero, etiam debebat? Quod quidem si fecisset, quis posset aut de eo jure conqueri, aut eum injustum appellare? Noluit tamen jus suum in suos, ut poterat, exercere justissimus Deus: sed officii plurimum apud se remanere placuit: & quem sibi suo jure vindicare poterat, eum redimere pretio persoluto maluit.

Quam vero mirabiliter, quam decenter, quam cumulate redemit? Ita ut neque hominum, neque Angelorum quisquam, non dico explicare, aut scire, sed nec cogitare quidem tantam divini consilii altitudinem unquam potuerit. Debebat homo pro seipso satisfacere; sed non poterat: poterat Deus; sed non debebat. Hic attende summum consilium, inscrutabile Sacramentum, incomprehensibilem Divinæ Providentiæ rationem: con-

junxit utramque naturam Deus ineffabili illo, ac divino
 nexu; atque ita conjunxit, ut quod est omnium mirabi-
 lium maxime mirabile, una in ambabus persona consis-
 teret, & quod impossibile videbatur, unus atque idem
 pro universo humano genere satisfacere & deberet, &
 posset. Quid, quod eisdem rationibus, quibus delictum
 admissum fuerat, ne qua justitiæ pars deesset, satisfacit?
 Primus enim parens inobedientia, atque elatione deli-
 querat: Christus obedientia, atque humilitate expiavit:
 ibi mulier perditioni initium; hic mulier initium redemp-
 tionis dedit: illa peccato divinas execrationes; hæc inno-
 centia divinas pollicitationes, sive (ut vulgo dicere sole-
 mus) benedictiones meruit: illa serpentis voce decepta
 est; hæc Angeli voce concepit: illa denique virum no-
 centem fecit; hæc Filium peperit innocentem. Adam por-
 ro comedendo peccavit; Christus jejunando peccata de-
 levit: ille per lathiferum interdictæ arboris lignum à
 serpente superatus est; hic per salutare sibi oblatae Cru-
 cis lignum, serpentem accerrimum humani generis hos-
 tem superavit. Quid plura? illè sibi, & posteris sua
 mortè mortem attulit; hic & mortuos, & morituros om-
 nes, unica sua morte liberavit: atque ita liberavit, ut
 æternam omnibus vitam, beatitudinemque conferret.
 Quid obsecro, in hac redemptione justius ab ipso etiam
 Diabolo aut peti, aut desiderari posset? Quid si ipse
 pro Tribunali sederet, aliud vel ab homine, vel à Deo
 ipso postulare auderet? Verum hæc nobis, *Beatissime*
Pater, profecit: nobis, inquam, hæc est collata justitia:
 nos, quum hæc ageret, Salvator adspiciebat: nos eru-
 diebat: nos ad suam imitandam justitiam provocabat.
 Quum enim ipse talent se in redimendo humano genere,
 etiam adversus hostem, ac servum suum diabolum, ex-
 hiberet; qualis tu, ceterique Pastores, in hoc grege ser-
 vando, atque alendo, esse debeatis, præscribebat. Sed
 de justitia satis est dictum.

Venio nunc ad *Charitatem*, qua ipse non modo mor-
 tales, ut in virtutibus aliis, sed quod incredibile dictum
 est, & ipsam charitatem superavit. Quamvis enim eam

hominibus, ipso suo adventu, ita ostendisset, ut nulla major ei veniendi causa videretur extitisse; quamvis eam in universo vitæ cursu ita omnibus declarasset, ut nemo ejus expers, atque immunis esset; eam tamen hodierno die, tantis tamque illustribus argumentis patefecit, ut quæ antea fecerat, omnia nulla fuisse posses existimare. Quale enim obsecro, aut quantæ charitatis fuit, quod in supræma illa mystica coena Corpus, & Sanguinem suum, novo quodam, & infallibili instituto, discipulis omnibus impertivit? atque ita impertivit, ut ad posteros quoque omnes, incredibilis illa suæ divinitatis diffusio, & communicatio propagaretur? Magnum quidem fuerat, magnæque bonitatis, & charitatis argumentum, hominem sibi similem creare, creato universa subjicere: majus; captum, venundatumque redimere: maximum; ejus gratia mortem subire. Se vero singulis totum quotidie tractandum, vescendum, immolandumque tradere, quo tandem charitatis gradu statuam? quantæ magnitudinis esse dicam? Desunt, *Beatissime Pater*, tantæ rei explicandæ accomodata vocabula: desunt ad eâ excogitanda humani vires ingenii: vincitur sermo rei magnitudine: quidquid de eâ vel dici lingua, vel mente comprehendi potest, multo re ipsa minus, atque inferior est. Quamquam autem in hac virtute, multa præclara, atque admirabilia sunt, quæ ego tum quia tibi nota esse arbitror, tum quia ad cetera propero, ne te diutius detineam, consulto relinquo: illud tamen silentio præterire non possum, quod Salvator proditorem suum, quem & antea noverat, & aliis indicaverat, ut à scelere revocaret, eodem quo ceteros suæ divinitatis munere impertivit: moxque ad se cum militibus, ut osculo proderet, venientem, non modo non est aversatus, sed blandis quoque vocibus appellavit, & benigna fronte suscepit. O novam, inauditamque charitatem! o ingentem humanæ salutis ardorem! quis hoc factum unquam post hominum memoriam aut audivit, aut legit? quis fieri ab homine posse existimavit? Proditurum sciebat, & convivam esse patiebatur: invisum se illi noverat, & ei se

ultro ingerebat: videbat prodentem, & amicum appel-
 labat. Tu vero, niquissime, ac perfidissime Juda, tam
 multis, tam claris ejus in te amoris signis, argumentis-
 que perspectis, quo tandem animo rem tantam aggredi,
 tantum scelus concipere, tam impium facinus audere,
 tam dirum nefas perpetrare potuisti? Num tui officii, cum
 hæc faceres, memòr eras? num tuæ vitæ, salutique
 prospiciebas? num ejus in te benevolentia, meritorum-
 que memineras? Sed ut tunc illò Collegio, ita nunc hoc
 Pontifice, hoc Senatu indignus es. Redeo igitur ad Sal-
 vatorem: cujus quidem dum singulas ab eo res hodierno
 die gestas contemplor, nihil invenio, in quo non ejus
 charitas singularis eluceat. Quæritur à militibus, & se-
 ipsum indicat: inventus iterum quæritur, & iterum quæ-
 rentes se docet: prostratos erigit: incitat trepidantes: ca-
 pientes hortatur: curat vulneratos: discipulos à sui de-
 fensione prohibet. Ductus verò ad Pontificem, & laben-
 tem Petrum confirmat, & verberantem ministrum coar-
 guit; & quis ipse sit, intrepide confitetur. Quæ quidem
 omnia ab uno, eodemque charitatis fonte procurrunt;
 ab incredibile nostri liberandi ardore proficiscuntur. Sed
 singula prosequi oratione non possum: extrema tamen
 illa, quæ in Cruce positus gessit, tacere non valeo. Pen-
 debat in Cruce, manibus, pedibusque confixis, omnium
 naturarum conditor, omnium sæculorum Princeps, om-
 nium mortalium salus, utrinque latronibus stipatus erat.
 Hinc eum Scribæ, & Pharisæi maledictis, & convitiis
 insectabantur: hinc vulgus ei dira imprecabatur; inde
 milites ei certatim illudebant. Inter hæc ludibria, inter
 hos cruciatus, quæ vox ejus audiebatur? Sitio. Quæ, in-
 quam, vox ejus audiebatur? Pater, ignosce illis, quia
 nesciunt, quid faciunt. Quid sibi, obsecro, istæ voces
 volunt quid hi clamores, *Beatissime Pater*, significant?
 In Cruce pendet; & de siti cogitat: vix animam tenet;
 & potum affectat: de morte certissimus est, & vitam sus-
 tentare desiderat. Profecto non hoc sitit, non hoc affec-
 tat, non hoc desiderat. Quid igitur sitis, fons inexhauste,
 qui Te universam omnium sitim, tua illa perenni, & in-

vitam aeternam scaturiente lympha, in perpetuum extinc-
 turum es pollicitus? Nostram profecto salutem sitis: nos-
 tram redemptionem affectas: nostram reconciliationem
 incredibili ardore desideras. Altera vero vox illa, quæ
 veniam hostibus implorat, quantæ, obsecro, charitatis
 est? Magnum est profecto, inimicum non odisse: multo
 majus, amare: quid, beneficiis prosequi? Hoc qui fa-
 ciat, non ego hunc summis viris comparo, sed similli-
 mum Deo judico. Postremo vero, dulcissima illa Matris,
 & Discipuli commendatio, quam vehementem, quam
 castum in utrumque amorem indicant? exhalabat ani-
 mam, & Matris, ac Discipuli curam non remittebat: seip-
 sum non curabat, & de suis sollicitus erat. O inauditam
 pietatem! O charitatem incredibilem, vereque divinam!
 O rem omnibus filiis, omnibus amicis imitandam! Nul-
 lum officii genus Salvator noster in quemquam præter-
 misit: nullum in omnes perfectæ charitatis indicium non
 exhibuit: adeo ut alteri è latronibus veniam postulanti,
 in extremo spiritu positus, beatitudinem largiretur. Quid
 hoc majus? quid admirabilius cogitari potest? ut eum,
 qui vitam in sceleribus consumpsisset, ibique ad ejus ig-
 nominiam esset collocatus, orantem exaudiret? se com-
 mendantem suscipere? veniam postulantem, non modo
 venia, sed gloria quoque, & immortalitate dignum judi-
 caret? Hæc Salvatoris nostri charitas est, *Beatissime Pa-
 ter*, hæc ejus institutio, nobis, non modo plurimis, &
 clarissimis, ut vides, exemplis, sed præceptis quoque
 frequentissimis, atque arctissimis, commendata. Hanc
 nos, si Christi memores, si imitatores, si denique Chris-
 tiani esse volumus, & inter nos fidelissime retinere, &
 usque ad inimicos extendere, ac propagare debemus.

Sequitur *Humilitas*, virtutum omnium præstantissima,
 Christianis hominibus maxime propria, veteribus pene
 ignota. Eam enim Christus non modo vivens, ac mo-
 riens & servavit, & docuit, verum etiam nascens ex Ma-
 terno utero secum attulit. Ante omnia enim divinæ natu-
 ræ sublimitatem, usque ad humanæ facis abjectionem de-
 pressisse, quantæ, obsecro, humilitatis fuit? quis potest
 hoc

hoc verbis prosequi? quis mente, aut cogitatione concipere? Venturus porro ad homines homo, virginem quidem, sed humilem, seni pauperi desponsam Matrem deligit. Nascitur Rex omnium sæculorum non in Regia aliqua, vel civitate, vel domo, sed in humili, obscuroque oppidulo, in sordido, atque immundo jumentorum stabulo. Excipitur non ab ingenti servorum multitudine, in auro & purpura, sed à sola Matre, in fœno, vilique palliolo. Ommitto infantiam ejus, & pueritiam in fuga, exilio, & trepidatione transactam. Taceo adolescentiam parentum inopiæ, imperioque subjectam. Non explico reliquam vitam, in summa paupertate, sine servis, sine domo, sine pecunia, nunc in navi, nunc in solitudine, tum inter piscatores, tum inter publicanos, & infames homines, magna ex parte traductam. Prætereo de industria labores, contumelias, jurgia, ludibria, & innumerabilia pene vitæ pericula, quæ mortalibus erudiendis perpessus est. Passionem enim nunc ejus, non vitam narro: neque volo te, *Beatissime Pater*, nostrâ diutius Oratione detinere: venio ad ea, quæ nostræ institutionis propria sunt. Moriturus Dei Filius pro mortalium omnium salute, non humillimum, obscurissimumque oppidulum, ut nascens, sed illustrissimam totius Judææ civitatem, in medio pene terrarum constitutam; toto orbe notissimam, clarissimamque delegit: ut quos ejus ortus latuerat, obitus salutem non lateret. Num suam, suorumque, quum id faceret, infamiam timuit? immo vero appetiit. Num de eorum quos ad se converterat, fide, aut constantia, dubitavit? immo, ita demum confirmari arbitratus est. Quo vero pacto Hierosolymam moriturus intravit? quasi ad triumphum, non ad mortem accederet. Intuere, quæso, *Beatissime Pater*, atque oculis subjice triumphantis Salvatoris ingressum. Insidet non albis quadrigis, auro, purpurave constratis, sed vilissimæ asinæ brevi discipulorum pallio velatæ. Præcedunt eum non senatorius, atque equester ordo, imperatorem collaudans, sed innocens puerorum turba Hosanna clamantium. Subsequitur non armatus exercitus, sed imbellis mulierum, discipulorumque

multitudo. Hic est nostri Imperatoris ingresus : hæc pompa triumphantis. Quid Cœna illa Paschalis ? quam parca ? quam moderata ? quam humilis ? quid illa post Cœnam pedum lotio ? quantam nunc etiam audientibus admirationem affert ? surgit à Cœna Deus occultus , homo manifestus : humilitate , & majestate pari : deponit pallium : linteo præcingitur : aquam poscit : ad singulorum se discipulorum pedes submittit , lavat singulos diligenter , inter quos etiam à proditore non abstinet. O inauditam omnibus sæculis humilitatem ! O virtutem mortalibus antea prorsus ignotam ! O rem admirandam omnibus , paucis imitabilem. Quis hoc Regum ? quis Principum ? immo , quis mortalium omnium ante id tempus aut facere , aut cogitare unquam potuit ? Exprimere animus admirationem tantam non potest : non potest tantam humilitatem lingua mortalis explicare. Sed dum in his hæreo , quasi hæc maxima sint , majora non video. Quid enim lotos discipulorum pedes commemoro ? Vide , quæso , *Beatissime Pater* , eum se ad osculum usque proditoris inclinantem : vide , eum se hostibus capiendum , ligandum , irridendumque ultro permittentem : vis videre quam ultro ? Prostratos ab eo unica voce tot armatos milites , atque ab eodem erectos , confirmatosque considera. Vide , inquam , quam submisso Pontifici Maximo , Sacerdotibusque respondeat ! quam humiliter cum Prætorum colloquatur ! quam serviliter inter milites commoretur. Quæ quidem omnia , ne te morer , consulto prætereo. Illud , quod humilitatis caput est , præterire nullo modo possum : quam abjectum , quam ignominiosum , quam vile pro mortalibus mortis genus elegerit ? Crux olim fugitivis tantum , & servis , aut furibus , & latronibus parabatur : at hæc potissimum humani generis Redemptor , omnis humilitatis Auctor , ne quisquam eam in posterum horreret , assumpsit : atque ita assumpsit , ut nullum in ea probrum , nullam ignominiam , nullum dedecoris , aut ludibrii genus declinaret. Pendebat sublimis in altissima Cruce Dei Filius , Cæli , terræque Parens , ac Dominus omnium sæculorum , ac gentium Rex , & Princeps sempiternus. Pendebat , inquam , in celeberrim-

rino terrarum emporio , in clarissima Judææ civitate , in editissimo Calvariæ vertice , ubi de damnatis supplicium sumi mos erat. Pendebat vero , inter duos latrones constitutus , spectante Matre , suisque omnibus , spectante ingenti Judæorum , ceterarumque gentium , quæ eo convenerant , multitudine. Ne quid vero ad ignominiaæ cumulum , humilitatisque deesset , maxime solemnè totius anni die imminente , Cruci affigi voluit. Quid , obsecro , humilius ? quid ignominiosius excogitari potuit ? Ut nos & ab æterna servitute liberaret ; & Deo subjectos , nostræ salutis gratia , redderet ; servilem , atque abjectam mortem libertatis Auctor subire non dubitavit ? O mira , ô incredibilis Salvatoris mansuetudo ! O Divina , ineffabilisque benignitas ! ut ex servis liberos , ac beatos faceret ; Deus , & servus , & miser effici non dubitavit. Hæc est illa humilitas , quam ipse nobis in Evangelio tam sæpe commendat , quam suo exemplo tantopere discendam nobis , imitandamque proponit. Hæc est , quæ & Deum è Cælo advexit in terram , & hominem è terra in Cælum evectura est. Sed de humilitate satis.

Huic conjuncta *Patientia* est , quæ una ex iis , quas proposuimus , virtutibus reliqua est. De qua quidem , quoniam multa jam , cum de humilitate ageremus , sunt dicta , & ego ad finem propero (video enim me jampridem abuti benignitate tua , *Beatissime Pater*) , quædam , quæ ejus virtutis propria sunt , paucis absolvam. Nam , ut omittam , quam multa in tota vita omnis generis incommoda , probra , pericula , & quam patienter Salvator pertulerit ; qualem se , cum à militibus caperetur , cum ad Sacerdotum Principem duceretur , cum ab illo interrogaretur , exhibuit ? quam multis eum contumeliis , jurgiis , ludibriis , ab inimica atque invida & odium explere cupiente multitudine affectum fuisse existimas ? Videre videor crudelissimos homines , omnem feritatis , atque insanix vim , in unum certatim effundentes. Alii enim eum rapere : alii post tergum ligare manus : alii vultum colaphis cædere : alii pectus , ac renes verberare : hi hominem sputis foedare : illi jurgiis , ac maledictis insectari :
ipse

ipse tamen omnia patientissime perferre; ac pati. Prò nefas! ubi mansuetudo? ubi ratio? ubi lex, ubi ordo naturæ? Capitur invisibilis, tenetur impalpabilis, ligatur incomprehensibilis, trahitur immutabilis: & qui nullam vim sentire potest, ab omnibus passim verberatur, conspuitur, cæditur: & tamen nullam in quemquam vocem emittit: immo omnia non modo patientissime nostra causa, verumetiam libentissime tolerat. Verum hæc parva admodum, & exigua sunt. Quid cum prætorianis militibus traditus, atque in prætorium ductus est? quam multa, bone Deus, quam indigna, quam nefaria perpeffus est? Propone tibi ante oculos, obsecro, *Beatissime Pater*, Deum ipsum, mundi Actorem, totius naturæ Parentem, hominum Creatorem, Salvatorem, Redemptorem, ab iis ipsis, quos creaverat, quos redempturus venerat, captum, vincitum, accusatum, damnatum, irrisum, consputum, verberatum: propone tibi, inquam, Regem sæculorum, Cali, Terræque Principem, futurorum bonorum Pontificem, tabernaculum non manu factum, inter sceleratissimos milites constitutum, spinis coronatum, coccino indutum, ab aliis per ludibrium regem salutatum, ab aliis pulsatum arundine, ab aliis omni maledictorum genere lacessitum, omnibus denique injuriis, contumeliisque expositum, omnia tamen æquissime, ac mansuetissime tolerantem. Sed parum dico, cum Deum ab hominibus hæc omnia perpeffum esse dico. Non est tantis injuriis expleta crudelitas: non est impietas satiata: immo non nisi hausto demum divino Sanguine satiari potest. Nudatur ergo decorum Christi Corpus; & membra etiam Angelis verenda coram sceleratissimis hominibus deteguntur. Ligatur ad columnam mansuetissimus Agnus; atque à validissimis, crudelissimisque militibus diu, omni ex parte, virgis durissimis cæditur. Prò dolor! cædebatur virgis in medio Hierosolymæ foro à sceleratissimis hominibus, innumerabili spectante multitudine, Salvator Mundi: & tamen nulla, inter crepitus, doloremque plagarum, ejus omnino vox audiebatur. O invictam patientiam! O mansuetudinem incredibilem! Ego quidem eam quibus verbis

exprimam non reperio. An nondum tua, Judæe impie, satiata crudelitas est? Ego quidem hæc sine multis lacrymis referre non possum: tu ea siccis oculis spectare potuisti? ego hæc ore pronuntians ingenti pudore afficior: tu, cum ea tuis manibus perpetrares, non erubuisti? Sed quid eos non erubuisse, aut non commotos esse conquiretor? utinam, utinam iis cruciatibus eorum contenta fuisset impietas: utinam se his crudelitatis finibus eorum sævitia continuisset. Verum, nonnisi visa demum nece, non vitæ feritas insana consistere, nonnisi ad interneccionem sæviat, potest odium crudele satiari. Quid igitur tibi ultra petendum? quid faciendum restat impietas? Crucifigatur, crucifigatur, inquit. O vox impia! O perversa voluntas! O feritas inexplebilis! Facinus est vincere Deum: scelus, ludibriis afficere: parricidium, virgis cadere: quid dicam, in Crucem tollere? Verbum satis dignum, quo tam nefariam rem appellem, *Beatissime Pater*, non reperio. Tollitur igitur in Crucem, plagis innumeris affectus, & cruorem toto corpore manans patientissimus Jesus: manus, pedesque vix reliquo corpori præ multitudine plagarum hærentes, clavibus durissimis confodiuntur: hiat undique vulneribus: rotus doloribus, & cruciatibus deficit: & tamen iis omnibus Judæorum impietas adhuc contenta non est: insultat etiam confixo: maledictis, & amarissimis verbis illudit: *Alios*, inquit, *salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. Lacrymas cum cæderetur paulo ante non tenebamus: quid nunc cum Cruci affixum cernimus, facere tandem debemus? Si hæc non ad Pontificem clementissimum, non ad religiosissimum Senatam, non ad Christianos fidelissimos; denique si non ad homines, sed ad bestias; & ut longius progrediar, si hæc non Romæ, sed in aliqua deserta solitudine, ad saxa, & scopulos loqui, & deplorare vellem, nonne & muta, & inanimata omnia, tanta, ac tam indigna rerum atrocitate commoverentur?

Quali igitur nos in Salvatore nostrum animo esse debemus? Propone tibi nunc, *Beatissime Pater*, immensum clavorum manus, ac pedes trajicientium dolorem: pro-

po

pone pendens cruciatum : imaginem confixi parumper
 intueri. Erat inter latrones medius , in altissima Cruce
 confixus Dei Filius : hinc à Matre , & à discipulis desle-
 batur : inde à Sacerdotibus , & Scribis lacerabatur : milites
 eum potus amaritudine cruciabant : latro vocibus insecta-
 batur : inscriptio ludibrium , doloremque augebat : vul-
 gus de eo varie loquebatur. Inter hos dolores , inter hæc
 tormenta , quam , obsecro , voces illius erant ? Num
 quemquam accusavit ? num coarguit ? num ea se inique
 ferre , num illis iratum esse ostendit ? minime. Quid ergo
 ait ? *Pater ignosce illis : quia nesciunt , quid faciunt.* O
 vox summæ patientiæ , summæ clementiæ , summæ man-
 suetudinis ! cum innocentissimus sis , Te à scelestissimis
 hominibus , contra jus , fasque omne comprehendi , vin-
 ciri , accusari , damnari , corripì , cædi , atque in Crucem
 agi , permittis. Tu verò hæc omnia non modo patientissi-
 me toleras , verumetiam , ut ea illis condonentur , affectas.
 Illi te accusant ; Tu eos excusas : illi damnant ; Tu cona-
 ris absolvere : illi execrantur ; Tu bene precaris : illi tibi
 necem inferunt ; Tu pro eorum vita Patri supplicas. Quid
 obsecro , ad hanc mansuetudinem , ad hanc Patientiam
 addi potest ? immo quibus hæc verbis non dico extolli ,
 sed æquari , aut pronuntiari satis queunt ? Nullus elo-
 quentiæ fluvius , nulla vis discendi , nulla humana vox ,
 nulla mortalis lingua hæc consequi unquam posset. Ubi
 mare illud eloquentiæ Tullianæ , ubi torrens fluvius De-
 mosthenis ? Nunc profecto muti essetis ambo , & vestra
 lingua torpesceret. Qua vero de causa tot dolores , tot
 cruciatus , tam indignam necem , ille , qui tam innocens
 est Deus , ut pateretur , adductus est ? Nostra profecto
 causa , nostra inquam causa , *Beatissime Pater* , ut hæc
 omnia pateretur , adductus est. Nostra scelera , nostra
 flagitia eum in Crucem egerunt : nos omnium dolorum ,
 omnium cruciatuum illi Auctores sumus : nobis compre-
 hensus , nobis accusatus , nobis damnatus , nobis casus ,
 nobis denique in Crucem actus est. Quid vero à nobis exi-
 git , *Beatissime Pater* ? nisi id , quod nobis maxime expe-
 dit ; quod nos ultro illi offerre debemus : ut sobrie , caste ,
 &

& pie vivamus : ut fidem , iustitiamque servemus : ut eius
& præcepta fideliter retineamus , & exempla constanter
imitemur. Quæ quidem omnia , si volumus , ne que nos
ipsos valde amamus ; & facillima nobis , & comm odissima
sunt.

Obediamus igitur , *Beatissime Pater* , Deo nobis tam
juste , tam benigne , tam utiliter imperanti , tam multa
pro nobis , & tam patienter tolerantem , quoad possumus ,
imitemur. Servemus in proximos , atque æquales , quam
ipse non dubitavit in servum , atque hostem servare iusti-
tiam. Charitatem , quam ipse usque ad inimicos extendit ,
omnibus veram , sinceramque exhibeamus. Neque pudeat
nos , cum homines simus , hominibus ministrare , quando
etiam Deus ipse hominibus ministravit. Nec obsecro , pau-
peres , atque humilis fortunæ homines fastidiamus ; cum
Salvator ipse & pauperrimus , & humillimus semper fue-
rit. Remittamus adversariis nostris injurias ; cum scia-
mus , illum pro inimicis , atque interfectores supplicasse.
Quæcumque denique acciderint adversa æquo animo to-
leremus , cum illum tam multa , tamque indigna , nostræ
causa , perpessum esse meminerimus. Quæ quidem omnia ,
si nos , ut debemus , & possumus , præstiterimus ; & Chris-
tus suæ Passionis amplissimam gloriam , & nos nostræ imi-
tationis fructum uberrimum , & cumulatissimum repor-
tabimus.

DIXI.

PRÆCIPUARUM RERUM INDICULUS.

A

- A**brahæ fides. Pag. 129.
 Affectus movendi. 134.
 Allegoria. 212. & seq. 221.
 Postremus ei locus debetur, & quando ea utendum? 224. Multæ circa Allegoriam observationes. 228.
 Amplificatio. 128.
 Anagoge. 213. 218.
 Aristoteles quando commendari coeptus? 241.
 Arma militiæ nostræ. 35.
 Ascera. 213.

B

- B**rentius hæreticus. 3.
 60. 85.

C

- C**æremonialia Judæi præferebant. 86.
 Calvinus hæreticus. 3. 60.
 Cautiones Concionatoris. 164.
 Christus Legislator. 79. Sermonis ejus expositio. 112.

- Christi in concionando efficacia. 32.
 Concionator, & Concio. Concionatoris munus, præstantissimum. 2. Indoctis, & juvenibus non committendum. 8. Instructio Concionatori necessaria. 7. Personas prode an deceat? 12. Vitæ probitas in Concionatore. 16. Spiritus, non literæ minister est. 19. Spiritus ei Sanctus necessarius. 28. 52. Item, vocatio. 56. Quam doctrinam tradere debeat? 63. 68. Concionum forma & partes. 95. Genera. 149. Quæ cavere debeat Concionator. 156. 173. In correctionibus. 179. Quæ illi spectanda? 200. De Philosophorum doctrinis. 241.
 Conclusio concionis. 127.
 Concordia Concionatori spectanda. 203.
 Confirmatio concionis. 119.
 Confutatio. 124.
 Consolatio. 108. 113. 191.
 Correctio. 108. 112. 117.
 Pro Magistratibus. 184.

D

D Eliberativum genus. 149.
 Demonstrativum genus. 149.
 Didascalicum genus. 151.
 Divisio concionis. 103.
 Doctrina. 108.
 Doctrinale genus. 151. 154.
 Doxologia. 173.

E

E cclesia Romana columna veritatis. 40.
 Euchira. 226.
 Exordium. 99.

F

F ides in Christum venturum. 77. In lege veteri obedientiam legis poscebat. 64. Operibus eget. 66.
 Funebres conciones. 172.

G

G allina similitudo. 200.
 Genevesium audacia. 60.
 Gravatum. 97.
 Gratia ad opera necessaria. 52.

H

H eretici sanguinis spiritualis effusores. 49.

I

I nimos odisse numquam licuit. 81.
 Institutio. 108. 112. 166.
 Invocatio. 98.

J

J acob. 227.
 Judæi Scripturas corruptas. 81. 85. seq.
 Judiciale genus. 149.

L

L aban. 227.
 Lex spiritualis. 65. V. Obedientia. Lex & Evangelium. 77.
 Lia. 227.
 Litteralis sensus præferendus. 216.
 Loci communes pro concione ex Apostolo. 108. Ad affectus movendos. 138.
 Ad genus concionis didascalicum. 155. Ad genus institutivum. 166. Pro consolatione. 192. In obscu-

curioribus Scripturæ locis
quid faciendum? 235.

Poetarum dictis Apostolus
usus. 246.

Potestas in dicendo. 30.

Præcepta legis tripartita. 85.

Prædestinationis materia
quomodo populo enun-
tianda? 207.

Providentiæ Dei. 153.

Proximus quis? 81.

Pyterius commendatus, quod
semper ante prælectionem
oraret. 22.

M

Magistratus quomodo
corrigenendi? 184.
Mariæ Virginis salutatio.
24. 25.

N

Natham ad David. 10.
184.
Necessitas. 225.

R

Rachel. 227.
Redargutio. 108. 114.
160.

O

Obedientia legis ad vitam
necessaria. 64. & seq.
83.
Orandi Sancti. 25.

S

Sancti invocandi. 25.
Scholæ Christianæ. 5. Ale-
xandrina. 6. Hierosoly-
mitana. 20.

P

Panegyricarum concio-
num finis. 170.
Peccata publica publice re-
darguenda. 12.
Philosophorum doctrina
qualiter à Concionatore
tractanda? 241.
Platonem multi veteres se-
cuti. 241.
Pœnitentia. 68.

Scribæ & Pharisæi in legem
peccabant. 81.
Scripturæ interpretatio non
proprio sensu fit. 24. 38.
Lectio. 97. Sensus qua-
druplex. 211.

Sensus Sacræ Scripturæ.
212.

Sol, & Sydera, inanima-
ta. 245.


Spiridion Episcopus. 97.


T V. U. W.


T Raditio Apostolica. 40.
 Tropologicus sensus. 212.
 Tropos. 218.
 Typus quid? 217. 223.

Virginis Mariæ saluta-
 tio. 24.
 Utilitas. 171. 200. 226.
 Witembergensis Principis au-
 dacia. 61.











ELLAVICE

DE

MAIRIE

DE

444 60

4358